





Ex libris Martini Walesszynski

ENCHIRIDION
Locorum Coḿunium
adversùs Lutherum &
alios Hoſtes
ECCLESIÆ,
JOANNE ECKIO
AUTHORE.

Libellus cunctis Catholicis ſummè proficuus. Anno Dñi. M. D. XLVII. Antverpiæ impreſſus.

Nunc verò
Opera cujusdam P. Minimi pro ſingulari Provinciæ Germano-Bohemicæ uſu & coḿodo reimpreſſus & dicatus.

BRUNÆ, excudebat Franciſcus Ignatius Sinapi 1695.

DIVO

FRANCISCO

SALESIO

Genevensium

EPISCOPO,

PRINCIPI



&

APOSTOLO,

Indefesso Hæresum

EXTIRPATORI

Sapientissimo Catholicæ Fidei

PROPUGNATORI

Ac

Tertij Minimorum Ordinis S.

FRANCISCI

DE PAULA.

Ardentissimo

FRATRI & SODALI.



DE ECCLESIA ET EJUS AUTHORITATE.

Tit. I.

PRIMA PROPOSITIO trimembris est.



CCLESIA est Corpus Christi, sponsa Christi, Regnum Cœlorum (a) Omnia subjecit sub pedibus ejus, & ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est Corpus ipsius & plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimplet.

(a) Ephe. 4.

Digne ambuletis vocatione qua vocati estis cum omni humilitate & mansvetudine, cum patientia supportantes invicem in charitate, solliciti servare unitatem Spiritûs, in vinculo pacis.

Unum Corpus, & unus Spiritus sicut vocati estis in una spe, vocationis vestræ. Unus Dominus, una fides, unum baptisma. Unus Deus & Pater omnium, qui est super omnes & per omnia & in omnibus nobis.

Probatio secundæ partis primæ propositionis. S. Ecclesia est sponsa Christi.

Una est columba mea, perfecta mea, una est matri suæ, electa genitrici suæ. Hortus conclusus, soror mea, sponsa, hortus conclusus, fons signatus. (b)

Mulieres viris suis subditæ sint sicut Domino, quoniam vir caput est mulieris sicut Christus caput Ecclesiæ, ipse Salvator corporis ejus (c) Sed sicut Ecclesia subjecta est Christo, ita & mulieres viris suis in omnibus.

Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus

(b) Cant. 4. (c) Ephe. 5.

ſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujuſmodi, ſed ut ſit Sancta & immaculata.

De Hieruſalem ſicut ſponſam ornatam Viro ſuo. (d)

Vos autem eſtis Corpus Chriſti & membra de membro. (e)

Sic ergo una eſt Eccleſia, non eſt foris, ſed intus, ſicut una fuit arca Noë 1. Pet. 3. quæ fuit figura unius Eccleſiæ extra illam unam ſignatam, nemo ſalvatur, ſicut homines extra arcam perierunt. Non eſt bigamus Chriſtus, una Eccleſia Apoſtolorum & noſtra. Ante Lutherum natum. erat Eccleſia, quæ credidit Miſſam Sacrificium, ſeptem Sacramenta, &c. Illa fuit Sponſa Chriſti. Itaque jam maneamus cum eadem Eccleſia, & non jungamur Eccleſiæ malignantium. Chriſtus quia diligit Eccleſiam Sponſam ſuam, non

(d) Apoc. 11. (e) 1. Cor. 11.

eam reliquit,nec D. nec M. annis etenim Caput quomodo desereret suum Corpus tanto tempore? Cum Synagogam minus dilectam ob peccata, septuaginta duntaxat annis reliquerit, in captivitate corporea Babylonis, quomodo suam Sponsam Ecclesiam relinqueret M. annis in captivitate errorum?

Probatio tertiæ partis propositionis,scilicet: Ecclesia est Regnum Cœlorum.

Simile est Regnum Cœlorum homini Patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam. (f.)

Simile factum est Regnum Cœlorum homini regi, qui fecit nuptias Filio suo, & misit servos suos vocare invitatos ad nuptias. (g)

Tunc simile est Regnum Cœlorum decem Virginibus,quæ accipientes lampades exierunt obviam sponso & sponsæ, quinque autem ex eis erant fatuæ. (h)

Multas similes parabolas invenies.(i)

1. Si ergo Regnum Cœlorum hic dicitur Eccle-

(f.) Mat. 20. (g) Mat. 22. (h.) Mat. 25. (i) Applicat.

Ecclesia, quomodo in Regno illo error & falsitas regnasset mille annis? Regnum Cœlorum est Regnum veritatis.

2. Patet Deum semper exire usque ad Vesperam, ad conducendum operarios, contra credunt Lutherani neminem conductum à mille annis, nisi eorum idolum Lutherum.

3. Patet Ecclesiam hic in via esse collectam ex bonis & malis, quia Christus clare dicit ibi esse Virgines prudentes & fatuas, pisces bonos & malos. *Vide Greg: in Homil.*

Secunda Propositio.

Ecclesia non erat, non modo, quia semper habet Sponsum Christum, sed etiam quia regitur Magisterio Spiritûs Sancti, ipsam nunquam deserentis.

Ego rogabo Patrem meum, & alium paracletum dabit vobis. (k)

Pater Sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi. (l)

(k) Joan. 14. (l) Joan. 17.

Non autem pro his tantum, scilicet Apostolis, rogo, sed & pro eis qui crédituri sunt per verba eorum in me. (m)
(n) Ecclesia Dei vivi columna & firmamentum veritatis, quomodo ergo erraret?
(o) Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo, cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Hic oportet post Evangelium, Lutheranus ostendat nobis, Magisterium Spiritûs Sancti hoc, promissum in Ecclesia.
(p) Et non necesse habetis, ut aliquis vos doceat, sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus & verum est, & non est mendacium. Itaque unctio Sancti Spiritûs semper docet Ecclesiam.
(q) Et ecce ego vobiscum omnibus diebus sum, usque ad consummationem sæculi, dixit CHRISTUS Discipulis, qui est via, veritas & vita. (r) Liquet Ecclesiam, columnam veritatis, CHRISTO

(m) Ibid. (n) 1. Tim. 3. (o) Joan. 19.
(p) 1. Joan. 2. (q) Mat. 28. (r) Joã. 14.

STO Doctore, & Spiritu Sancto Magistro, non errare, quanto minus credibile, quod mille annis Universa Ecclesia erraverit, ut insaniunt Lutherani.

Tertia Propositio.

SIcut Ecclesia est una, ita unitas est in Ecclesia.

Rogo vos Fratres ut observetis eos qui dissensiones & offendicula, præter Doctrinam quam didicistis, faciunt. *Infra*: Non serviunt Christo, sed ventri suo. *Infra*: Perdulces sermones decipiunt corda innocentum. (s)

(t) Obsecro autem vos Fratres per Nomen Domini nostri Jesu Christi ut idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis Schismata, sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem Scientia. Lutherani nova Schismata faciunt, & tam sibi, quàm aliis repugnant, ut jam dissectus est Corolostadius, & Luther, & Zvinglius, & Catabaptistæ. Non enim dissensionis est

(s) Rom. 16. (t) 1. Cor. 1.

Deus, sed pacis, sicut & in omnibus Ecclesiis Sanctorum doceo. (u)

Potius itaque veram intelligentiam scripturæ credendum est Deum inspirare concordi unitati Ecclesiæ, quam uni privato homini Luthero, vel Zvinglio aut Hosandro: imò sequitur, quod id quod Sancta Mater Ecclesia definit, vel acceptat, non sit minori firmitate credendum ac veneratione tenendum, quàm si in divinis literis esset expressum.

(x) Quæcunque scripta sunt, ad nostram Doctrinam scripta sunt, vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus, Deus autem solatii, & patientiæ det vobis idipsum sapere in alterutrum, secundùm JESUM CHRISTUM, ut unanimes uno ore honorificetis Deum, in Oratione ad Deum. Omnipotens sempiterne Deus cujus Spiritu totum Corpus Ecclesiæ Sanctificatur & regitur.

Paulus post rationem corporis mystici subdit. Idipsum invicem sentientes, non alta

(u) 1. Cor. 14. (x) Rom. 15.

alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes. (y)

Si qua conſolatio in Chriſto, ſi quod ſolatium Charitatis, ſi qua Societas Spiritûs, ſi qua viſcera miſerationis: implete gaudium meum, ut idem ſapiatis, eandem Charitatem habentes unanimes idipſum ſentientes. (z)

(a) Duo mala fecit Populus meus, me dereliquerunt; Fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas: ſic Lutherani relinqventes verum, & vivum Fontem Eccleſiæ, fodiunt ciſternas diſſipatas hæreticorum, Wiclef, Huſs, Albigentium & cæt. Fruſtra Deus miſit Filium, fruſtra Spiritum Sanctum, fruſtra Apoſtolos, Martyres, Doctores, Confeſſores: ſi per Lutherum ſolum, lux veritatis aperienda erat, cur Deus non unum miſit Lutherum pro omnibus?



(y) Rom. 12. (z) Philip. 2. (a) Hier. 2.

Quarta Propositio.

PRælatos & potiores congregatos, esse Ecclesiam repræsentative patet.

Convertitque Rex faciem suam & benedixit omni Ecclesiæ Israël, omnis enim Ecclesia Israël stabat, &c. (b) Ecce Ecclesia Israël, & quod solum fuerit repræsentativa liquet per initium hujus capitis. Tunc congregati sunt omnes majores natu Israël, cum Principibus tribuum & Duces Familiarium Filiorum Israël ad Regem Salomonem, &c.

§ Objiciunt Hæretici.

1. Major est Authoritas Scripturæ quàm Ecclesiæ. Nam Ecclesia debet regi secundùm scripturam. Verbum enim Domini nemini cedit.

2. Non licet Ecclesiæ aut ulli homini venire contra Scripturam.

3. Illud non dicitur determinasse Ecclesia, quod Papa cum Cardinalibus & Episcopis determinat, quia Ecclesia est congregatio omnium fidelium & connexio in vera fide, ex qua vivit justus.

(b) 3. Reg. 8.

4. Ecclesia Dei solum est in Spiritu, quia creditur & ita occulta.

5. Luther dicit se esse de Ecclesia, & credit apud se Ecclesiam, ubi ipse sit Ecclesiastes. Sic Zvinglius, Carolostadius, Billicanus, Stoplerus, Hiebmair, Pacimontanus, &c.

§ Diluuntur objecta.

CHristus non scripsit aliquem Librum, nec præcepit Discipulis vel Apostolis ad scribendum, at verò de Ecclesia multa præcepit, unde missurus Apostolos ad plantandam Ecclesiam, non dixit, Euntes scribite, sed Euntes in Mundum universum, prædicate Evangelium omni Creaturæ. (c) Ideò lex fuit scripta in tabulis lapideis, Evangelium in Cordibus. Quoniam Epistola estis Christi, administrata à nobis, & scripta non atramento, sed Spiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, sed in tabulis Cordis carnalibus. (d) Concordat. Hiere. Ecce dies veniunt dicit Dominus & feriam domui Israël, & do-

(c) Mat. 28. (d) 2. Cor. 3.

domui Juda fœdus novum, non secundùm pactum quod pepigi cum Patribus vestris, & cætera, sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israël, post dies illos, dicit Dominus, dabo legem meam in visceribus eorum & in corde eorum scribam eam, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in Populum. (e) Hieronym. Quid necesse est in manus sumere, quod Ecclesia non recipit?

2. Ecclesia est antiquior scriptura, quando enim Apostoli incœperunt prædicare, nulla erat Scriptura Evangelij, nulla Epistola S. Pauli, & tamen erat Ecclesia Christi Sangvine dedicata.

(f) Sic Apostoli sine Scriptura novi testamenti elegerunt Matthiam, ordinarunt septem Diaconos, Petrus fecit expirare Ananiam & Saphiram. (g) Cùm Apostoli tam diligentes fuerunt in verbo Dei seminando, & tamen paucissima reperiuntur ab eis scripta, consectarium est multo plura, eos docuisse, quàm scripsisse, quæ parem cum scriptis habent Authoritatem.

3. Scri-

(e) Hier. 31. (f) Act. 1. (g) Act. 5. & 6.

3. Scriptura non eſt authentica ſine Authoritate Eccleſiæ, ſcriptores enim Canonici ſunt membra Eccleſiæ. Unde Hæretico volenti contendere contra Eccleſiæ inſtituta & conſvetudines, objiciatur quibus armis velit contendere contra Eccleſiam. Dicturus eſt Canonicis ſcripturis quatuor Evangeliorum, ac Paulinis Epiſtolis. Huic mox objiciatur, unde ſciat, has ſcripturas eſſe Canonicas, niſi ex Eccleſia, quare enim credit Evangelium Marci, qui Chriſtum non vidit, eſſe Canonicum, & non Evangelium Nicodemi, qui vidit & audivit CHRISTUM, ut teſtatur Joannes. (h) Sic Evangelium Lucæ Diſcipuli eſt receptum, & Evangelium Bartholomæi Apoſtoli eſt rejectum, niſi humiliter confitearis Eccleſiæ Authoritatem cum Beato Auguſtino, id quod Luther aliquãdo docuit, Eccleſiam poſſe judicare de ſcripturis.

Ita igitur patet Eccleſiam antiquiorem Scriptura, neque Scripturam authenticam eſſe niſi Eccleſiæ Authoritate. (i) Unde Au-

(h) Joan. 3. (i) Aug. parte 4. c. 5.

Augustinus contra Epistolam fundamenti: Evangelio non crederem, nisi Authoritas Ecclesiæ me commoveret, plura inferius de Scriptura titulo 4.

1. Scriptura docet. (k) memento ut diem Sabbati Sanctifices, sed diebus operaberis, & facies omnia opera tua, septimo autem die, Sabbatum Domini Dei tui est, &c. (l) Et tamen Ecclesia mutavit Sabbatum in Dominicum Authoritate sua, super quo nullam habes Scripturam.

(m) 2. Christus dixit Discipulis in monte: Non veni solvere legem, sed adimplere, & tamen Ecclesia Apostolorum in Concilio pronuntiavit audacter super cessatione legalium. (n)

3. Matthæi ultimo dixit Christus Discipulis: Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti, docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis. Hic Christus dedit formam baptizandi in nomine Trinitatis explicite, & tamen Ecclesia

(k) De 2. dicit. (l) Exo. 20. (m) Mar. 5. (n) Act. 15.

clesia primitiva mutavit hanc formam Baptizandi in Nomine Christi Jesu. (o) Pœnitentiam agite, inquit Petrus, & baptizetur unusquisqve vestrum in Nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum. Et Actuum octavo, dicitur quòd Samaritani baptizati sunt à Philippo in Nomine Jesu. Et Actuum decimonono. His auditis baptizati sunt in Nomine Domini Jesu, scilicet à Paulo.

4. Scriptura definit in Concilio. (p) Visum est Spiritui Sancto & nobis, &c. Ut abstineatis vos ab immolatis simulachrorum, & Sangvine, & suffocato, rem tam clare definitam & expressam, Ecclesia sua Authoritate mutavit, quia & Sangvine & suffocato utitur. (q) Ecce Potestas Ecclesiæ super scriptura. Vide infrà de constitutionibus humanis, titulo decimoquinto.

Porrò si plus vivere vis secundùm scripturas, quàm secundùm Authoritatem Ecclesiæ, jam omnes Judæi venientes ad Bap-

(o) Act. 2. (p) Act. 15. (q) Vide Co: chle: de Autho: Eccle:

Baptiſma, ad legem Moyſi tenerentur, quia ſic reperirent in ſcripturis, Apoſtolos & alios converſos, vixiſſe. Paulo à Gentibus revertenti, dixerunt Jacobus & ſeniores. Vide Frater quot ſunt in Judeis qui crediderunt & omnes æmulatores ſunt legis. (r) Audierunt autem de te, quia diſceſſionem doceas â Moyſe, eorum qui per Gentes ſunt Judæorum, dicens non debere eos circumcidere Filios ſuos, neque ſecundùm conſvetudinem, ingredi. Quid ergo eſt? Utique oportet conveniremultitudinem, audient enim te ſuperveniſſe, hoc ergo fac quod tibi dicimus. Sunt nobis viri quatuor, votum habentes ſuper ſe his aſſumptis Sanctifica te cum illis, impende in illis ut radant capita: & ſcient omnes, quia quæ de te audierunt, falſa ſunt, ſed ambulas & ipſe cuſtodiens legem. De his autem qui crediderunt ex gentibus, nos ſcripſimus, judicantes, ut abſtineant ſe ab idolis immolato, & Sangvine, & ſuffocato, & fornicatione, hic Paulus cum multis millibus ſervavit legem juſſu Sancti Jacobi. Vis igitur,

(r) Act. 21.

tur, Luthere, converſum ex Judæis hodie, magis vivere ſecundùm ſcripturas illas, an ſecundùm Eccleſiæ Authoritatem?

Fatemur Eccleſiam eſſe omnium fidelium congregationem qui ſunt de Corpore Chriſti: ut quando primates & potiores alicujus Provinciæ aliquid ſtatuunt, tota Provincia dicitur ſtatuiſſe. Sic Prælati Eccleſiæ, dicuntur Eccleſia, quia repræſentant eam, & ſubditos ſuos. Alioquin nunquam congregari poſſet Eccleſia. Et Mathæus: (ſ) Quòd ſi te, *inquit*, non audierit, dic Eccleſiæ: quod ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus. Si quis vellet dicere Eccleſiæ, ſecundùm Lutherum, oporteret perambulare totum Orbem. Chryſoſtomus exponit. Eccleſiæ præſulibus, ſcilicet Præſidentibus, patet, qui mox Apoſtolis tanquam Prælatis dat Poteſtatem ligandi.

(t) Si difficile & ambiguum apud te judicium eſſe proſpexeris inter Sangvinem & San-

(ſ) Mat. 18. (t) Deut. 17.

& Sangvinem, causam & causam, lepram & non lepram, & Judicum inter portas tuas videris verba variari, surge & ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, veniésque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad Judicem qui fuerit illo tempore, quæréſque ab eis, qui in dicabunt tibi Judicij veritatem, & facies quodcunque dixerint, qui præsunt loco quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem ejus, sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dextram neque ad sinistram. Qui autem superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex Decreto Judicis morietur homo ille, & auferes malum de Israël, cunctúsque populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumescat superbia. Vide Potestatem Sacerdotis legalis, quanta putas Potestas sit Sacerdotis Evangelici? Et pœnam expende inobedientis.

(u) Facta seditione non minima Paulo & Barnabæ adversùs illos, statuerunt, ut

(u) Act. 15.

ut aſcenderent Paulus & Barnabas, & quidam alij ex alijs ad Apoſtolos & Presbyteros in Hieruſalem ſuper hac quæſtione. Ecce quomodo impleverunt illud Deuter. 17. Et quæ erat Eccleſia? Non tota congregatio, ſed aſcenderunt ad Apoſtolos & Presbyteros qui repræſentabant Eccleſiam.

Si Eccleſia eſt oculta, quomodo Chriſtus præcepit dicendum Eccleſiæ, etſi Eccleſiam non audierit, &c. (x) Si autem eſſet oculta, quid poſſet ei dici, aut quomodo audierit? Similiter Eccleſia Corpus Chriſti, & Chriſtiani membra. Ro. *12.1.* Cor. *1.* & 12. Epheſ. *1.* 5. Coll. *1.* Dicat Luth. an illi fuerunt oculti, & ſolùm Mathematice Eccleſia, quando dixit Paulus: Vos autem eſtis Corpus Chriſti & membra de membro. (y) Hæreticorum eſt habere criptas, ſpeluncas & latebras, Eccleſia ponit lucernam ſuper candelabrum. Monſtratur tibi Eccleſia in Concilijs, in ſede Apoſtolica, in Epiſcopis & Præpoſitis ſingularum Eccleſiarum. Nam ſi ſo-

(x) Mat. 18. (y) Luc. 11.

si solum Mathematica esset Ecclesia, Frater Pauli non haberet laudem per omnes Ecclesias. (z) Non diceret David: (a) Apud te laus mea in Ecclesia plebis, & in Cathedra Seniorum laudent eum. Pro hoc vide August. super Canonica Joannis, tractatu primo in fine.

Quod dixit Luther, dixerunt omnes Heretici. Ideò Augustinus invehitur contra Donatistas, qui Universalem Ecclesiam coarctare volebant ad angulum paucorum Hæreticorum. Plura vide apud Joannem Cochleum de Authoritate Ecclesiæ, & Roffensem. Inter veteres vide Joannem Turrecrematam, latissime pro Ecclesia scribentem.

De Concilijs II.

Quia Ecclesiæ Authoritas plurimum pollet in Concilijs, justo ordine jam de Concilijs acturi sumus.

Pro-

(z) 2. Cor. 8. (a) Psal, 21. 106.

Propoſitio prima.

CELEBRATIONIS Conciliorum in Eccleſia exempla, inveniuntur ab Apoſtolis in novo Teſtamento.

Surrexerunt quidam de Hæreſi Phariſæorum, qui crediderunt dicentes: quia oportet circumcidi eos, præcipere quodq; ſervare legem Moſi. Conveneruntque Apoſtoli & Seniores videre de verbo hoc, & infra ponitur deciſio. Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quàm hæc neceſſaria, ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulachrorum, & Sangvine, & ſuffocato. & fornicatione, à quibus cuſtodientes vos bene agetis. (b)

Ecce concilij Apoſtolici formam: Apoſtoli & Seniores convenerunt. Gentes non ſe oppoſuerunt Apoſtolis, ſicut modo Luther conciliis, qua Authoritate, qua Scriptura id facitis? cur adimitis nobis libertatem à Chriſto datam? nam & ſi in de-

(b) Act. 15.

deliberando citaverint Scripturam ex Amos nono, tamen quo ad prohibitionem illorum trium, nihil induxerunt, similiter in decisione nullam adduxerunt Scripturam.

Antiochia quoque recepit conclusa Hierosolymis. Luther respuit conclusa Romæ. Patet concilium habuisse potestatem statuendi aliqua esse necessaria pro illo tempore, quæ tamen ad fidem simpliciter non essent necessaria, cur non eadem Potestas esset nunc in Ecclesia, quando necessitas sæpe exigit? Idem CHRISTUS, idem Spiritus, eadem fides cur non æqua conciliorum potestas? Item aliam Apostoli celebrarunt synodum. Ab invicem enim discessuri prædicaturique Evangelium per universum Orbem juxta Domini Præceptum, convenientes in unum, singulique suas proferentes sententias, symbolum fidei tradiderunt, ut ex majorum traditione habetur, quod universalis tenet Ecclesia. Sic enim Beatus Clemens discipulus & successor Apostolorum in suis decretis testatur. Item

Leo

Leo Papa primus Aug. ſcribens dicit: Catholici ſymboli brevis & perfecta Confeſſio duodecim Apoſtolorum totidem ſignata eſt ſententijs. Item Ambroſius clavem Regni Cœlorum deputans eſſe fidem Apoſtolorum. Clavem inquit iſtam, arbitror, xij. artificum operatione conflatam. Duodecim enim Apoſtolorum ſymbolo fides Sancta concepta eſt, qui veluti periti artifices in unum convenientes, clavem ſuo concilio conflarunt. Clavem enim qvandam ipſum ſymbolum dixerunt, per quod reſerantur Diaboli tenebræ, ut lux Chriſti adveniat.

Ne tranſgrediaris terminos antiquos, quos poſuerunt Patres tui. (c)

(d) Iterum dico vobis, quia ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re quamcumqve petierint, fiet illis à patre meo qui in Cœlis eſt, ubi enim ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ubi ſum in medio eorum. Nullus poteſt convinci evidentius, non audiſſe Eccleſiam qvam ſi Concilium non audierit. Nuſqvã

(c) Prov: 22. (d) Matt. 18.

major conſenſus , qvàm in Concilio. Nullibi congregantur plures in nomine Domini, qvàm in Concilijs generalibus.

(e) Interroga generationem priſtinam, & diligenter inveſtiga Patrum memoriam, heſterni qvippe ſumus, & ignoramus qvoniam umbra dies noſtri ſuper terram, ipſi docebunt te & loquentur tibi, & de Corde ſuo proferent eloquia, in antiquis eſt ſapientia, & in multo tempore prudentia. Ergo Concilia audiamus & Patres, non Hæreticos nuper natos & Apoſtatas. Tollatur Conciliorum Authoritas, & omnia in Eccleſia erũt ambigua, dubia, pendentia, incerta, non omnes mox redibunt Hæreſes, Conciliorum Authoritate damnatæ.

Qvod ſi Scripturis contra eos pugnabis jam ſecluſa Authoritate Eccleſiæ, rejicient Scripruram qvam volent, ſicut modo Lurher rejicit Epiſtolam Sancti Jacobi, quia adverſatur ſibi, ſimiliter Machabæos, &c. Et olim Hæretici non acceptarunt qvatuor illa Evangelia, Sicut Manichæi

(e) Job 6.

nichæi rejecerunt vetus teſtamentum. Res miſeranda profectò. Si illud Hæreticorum eſſet verum, tunc enim occurente aliqvo dubio in Fide, non eſſet via decidendi illud, ſed qvilibet juxta prudentiam capitis ſui, declinaret in illã vel aliam partem, quomodo ergo Chriſtus ſufficienter providiſſet Eccleſiæ ſuæ per legem Evangelicam, qvæ tamen debet eſſe perfectiſſima? Joſue primo. Qvi contradixerit ori tuo, moriatur.

(f) Qvanta mandavit Patribus noſtris, nota ea facere Filijs ſuis, ut cognoſcat generatio altera: ergo nos credamus mandata, Concilijs & Patribus.

Auguſtinus ad Ianua. Illa qvæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, quæ qvidem toto Orbe Terrarum obſervantur, datur intelligi, vel ab ipſis Apoſtolis vel plenarijs Concilijs (qvorum eſt in Eccleſia ſaluberrima Authoritas) commendata atqve ſtatuta retineri: Unde hæc, qvia ita ſint facienda, diſputare, inſolentiſſimæ

(f) Pſal. 77.

insaniæ est. Lutherani ergo insolentes sunt & insani.

Augustinus Libro septimo contra Donatistas, assumit Sanctam Ecclesiam Catholicam, contra Donatistas, Authoritate plenarij Concilij munitam. Et Libro primo Capite decimo octavo, plenarium Concilium existimat consensionem totius Ecclesiæ.

Gregorius in Regist. Sicut Sancti Evangelij qvatuor libros, sic qvatuor Concilia suscipere & venerari me fateor. Nicænum scilicet, Constantinopolitanum, Ephesinum, & Calcedonense.

PROPOSITIO II.

MAjores Ecclesiæ (sicut sunt in Concilio) repræsentant totam Ecclesiam, patet primo in Exodo sæpissime, & sume exempli causa. Exodi decimo nono, quando Deus voluit dare legem Moysi, præcepit ei. Hæc dices domui Jacob & annuntiabis Filijs Jsraël, & cætera. Et tamen postea de Moyse dicitur; Venit Moy-

Moyses, & convocatis majoribus natu populi, exposuit omnes sermones, & cætera. Et licet solum seniores populi responderunt, cum quibus loquebatur Moyses, tamen subdit textus.

Responditq; omnis Populus simul, &c. quod non erat omnis Populus nisi repræsentative.

*Interroga Patrem tuum & annuntiabit tibi, majores tuos & dicent tibi, stultus Populus jam, & superbi Cives quærunt Lutherum, Zvinglium, Blarer, Hosandrum, Bucerum.

*Ne despicias narrationem presbyterorum sapientium, & in proverbijs eorum conversare, ab ipsis enim disces Sapientiam & doctrinam intellectus, & servire magnatis sine querela. Non te prætereat narratio Seniorum, ipsi enim didicerunt à Patribus suis, quoniam ab ipsis disces intellectum & Doctrinam.

* Deut. 32. * Eccli. 8.

§ Objiciunt Hæretici.

1, In Concilio ſunt Homines, qvare fallunt ſæpè & falluntur, cum omnis Homo ſit mendax.

2. Deprenſum eſt Concilium Carthaginenſe ſub Sancto Viro Cypriano cum octoginta Epiſcopis de rebaptizandis Hæreticis erraſſe.

3. Sicut Concilium Ariminenſe plenariam D. C. Epiſcoporum erravit cum Ario. Et Epheſinum ſecundum cum Euticete & Dioſcoro. Et Conſtantinopolitanum ſub Conſtantino. Imperatore de tolendis imaginibus.

4 Et Concilia etiam generalia unanimiter ſuſcepta varia determinarunt, etiam in his quæ credenda proponuntur, ut Concilium Conſtantienſe de primatu Papæ, contra Concilium Nicænum & Aphricanum.

§ Obji-

* Pſal. 115.

§ Objiciunt Laici à Lutheranis malè perſvaſi.

5. Cum Laici ſint de Eccleſia, & non minus agatur de Salute animarum illorum, quàm Cleri. Itaqve conveniat eos intereſſe.

§ Diluuntur Objecta.

1. Fatemur eos qui in Concilio conveniunt, eſſe Homines, at in Concilio generali legitimo, regunt ur ductore Spiritu Sancto, qui eos falli non ſinit. Nam & Paulus & Joannes, Eſaias, & David fuerunt Homines, adhuc Paulus ad Galatas, inquit:

*Si Angelus de Cœlo aliud Evangelizaverit, anathema ſit. Scriptores itaque Canonici infallibiliter ſcripſerunt, qui fuerunt Homines. Sic Patres in Concilijs.

2. Concilium illud Carthaginenſe non fuit plenarium, ſed particulare, ut oſtendit Auguſtinus contra Donatiſtas, particularia

*Gal. 1.

ria autem Concilia poterunt errare, & reformantur per generalia. Auguſtinus libro ſecundo contra Donatiſtas.

Et ipſa Concilia qvæ per ſingulas Regiones & provincias fiunt, plenariorum Conciliorum Authoritati, qvæ fiunt ex Univerſo Orbe Chriſtiano, ſine ullis ambagibus cedere, cum experimento rerum aperitur.

Ariminenſe conciliabulum fuit, non Concilium, neqve legitime congregatum. Invito enim Liberio coactum fuit Hæreticorum opera, contra Concilium Nicenum, Thauro præfecto pro Arrianis juſſu Imperatoris, precibus & minis inſtante. Et ſimplices Epiſcopi occidentales fuerunt ſeducti fucis Hæreticorum, qvos poſtea intelligentes, retractarunt concluſa Arimini. Sic & Epheſinum conciliabulum in qvo Hereticus præſedit Dioſcorus, non fuit legitime congregatũ nolentibus legatis Papæ iniqvum locum accedere, & damnatum fuit per Calcedonenſe Concilium. Sic impius Imperator Conſtantinus repugnante pontifice Concilia-

ciliabulum Conſtantinianum collegit, qvod poſtea Nicæno Concilio ſecundo, ſub Hierene Imperatrice damnatum eſt, unde & Caroloſtadius, Zvinglius, Hetzman, Blarer, in hoc Luthero repugnantes, damnati ſunt.

Adverte hic qvòd generalia Concilia in Spiritu Sancto congregata, aberraſſe à via veritatis nunqvam deprehenduntur, potiſſimum in his definiendis, qvæ ad orthodoxam fidem rectósqve mores attinent. Cæterum Concilia, Hæreticorum juſſu atqve aſſenſu convocata, ſemper à fide recta aberrarunt, qvale fuit iſtud Ariminenſe. De qvo diffuſè refert Hiſtoria Eccleſiaſtica, Libro decimo, Capite vigeſimo primo. Tale etiam fuit Concilium Mediolaneñ: juſſu Conſtantij Imperatoris Ariani celebratum, ad Athanaſij condemnationem acerrimi fidei propugnatoris procurandam, in qvo Epiſcopi Catholici Dionyſius, Euſebius, Paulinus, Hilarius, & alij nonnulli, qvia noluerunt ſubſcribere damnationi Athanaſij, in exilium

* De imaginib:

lium ſunt pulſi, ut refert Hiſtoria Eccleſiaſtica Libro decimo, Capite vigeſimo. Ejusmodi qvoqve fuit Concilium Antiochenum ſub Conſtantino Imperatore Arriano, in conſeſſu nonaginta Epiſcoporum celebratum, ubi Athanaſius ſede ſua Epiſcopali, qvam in Alexandria tenuit, ejectus eſt, exilióqve damnatus, ut deinde faciliùs Nicæni Concilij robur & Authoritas ſuſtolleretur, prævaleréτqve mendacium veritati, ſicut Hiſtoria tripartita, Libro qvarto Capite nono latiùs commemorat. Simile qvoq; fuit Concilium poſtea apud Seleutiam Jſauriæ coadunatum. C. & LX. Epiſcoporum contra Nicænam Synodum, vide in Hiſtoria tripartita Libro tertio Cap. trigeſimoqvarto.

* Concilia, plenaria, qvæ mores regimen concernunt Eccleſiaſticum, pro qvalitate & conditione temporum, perſonarum & cætera, abſqve fidei præjudicio varie determinarunt, Vnde Innocentius. III. De conſangvi: & affinit: cap, Non debet, ita dicit:

* De qvarto.

dicit: Non debet reprehenſibile judicari, ſecundùm varietatem temporum ſtatuta qvandóq; varientur humana præſertim cum urgens neceſſitas & evidens utilitas id expoſcit.

Qvoniam ipſe Deus ex his qvæ in veteri teſtamento ſtatuerat, nonnulla mutavit in novo. Hæc ille. At Concilia generalia legitima, in credendis, ſe non deſtruxerunt. Sic intelligatur Auguſtinus. Priora Concilia plenaria poſterioribus emendari.

Concilium autem Aphricanum & Nicænum non adverſari Conſtantienſi, vide de Papatu infrà titul. 3.

* Laici poſſunt intereſſe Cōcilijs, ut teſtes, ut defenſores, ut Conſiliarij, ut ſuggeſtores, ut executores. tamen a Chriſto nato, nunqvam habuerunt vocem definitivam in Concilio, Actuum decimoqvinto ſtatuerunt, ut aſcenderent Paulus & Barnabas, & qvidam alij ex alijs ad Apoſtolos & Presbyteros in Hieruſalem ſuper hac q. & qvæ ſeqvuntur, Ecce ad clerum aſ-

* De qvinto.

cenderunt non ad Laicos, & nulla fit Laicorum mentio in eodem Concilio,

In Concilio octavo, actione qvarta, Principes jussi interogare dixerunt: Ut obsecundantes verbo vestro, ex præceptione vestra interrogabimus eos, non per Potestatem nostram, Potestas enim hæc vestra est.

Basilius Imperator de Laicis inqvit: Qvanqvam non sit datum istis secundùm Canonem, dicendi qvicqvam penitus de Ecclesiasticis caussis, opus enim hoc Pontificium est & Sacerdotum.

*Zozomenes refert. Dum Valentinianus per Thraciam ad Romã properaret. Tunc Episcopi Hellesponti Bithiniæ legatum miserunt Hipatianum, Heracliæ præsulem, qvatenus dignaretur ad emendationem dogmatis interesse. Respondit: Mihi qvidem, cum minimus de Populo sim, phas non est talia perscrutari. Verum Sacerdotes qvibus hæc cura est, apud semetipsos congregentur, ubicunque voluerint.

Am-

* Sedulius.

*Ambrosius ad Valentinianum contra Auxentium, Si scripturarum seriem divinarum, vel veterum tempora retractemus, qvis est qvi abnuat in caussa fidei Episcopos solere de Christianis Imperatoribus, non Imperatores de Episcopis judicare?

*Martianus Imperator in Calcedonens Concilio ad Synodum dixit: Nos ad consarvandam Fidem, non ad Potentiam ostendendam, exemplo gloriossimi Principis Constantini, Synodo interesse volumus, ut inventa veritate, non ultra multitudo pravis doctrinis attracta, discordet. Et iterum: Sunt qvædam certa capitula qvæ bonorum respectu, vestræ reservamus Sanctitati, congruum rati regulariter à vobis ista synodali disponi Consilio, potius qvàm nostris legibus statui.

§ Basilius Imperator in fine Concilij Octava.

DE vobis autem Laicis, tam qvi in dignitatibus, qvàm qvi absolutè conver-

ver-

*Ambro. *Mar. *dis. 96, c. *Basili; Imp.

verſamini, qvid ampliùs dicam non habeo, qvàm qvod nullo modo nobis licet de Eccleſiaſticis cauſis ſermonem movere; neqve penitus reſiſtere integritati Eccleſiæ, & univerſali Synodo adverſari. Hæc enim inveſtigare & qværere Patriarcharum, Pontificum, & Sacerdotum eſt, qvi regiminis Officium ſortiti ſunt: qui ſanctificandi, qvi ſolvendi & ligandi Poteſtatem habent: qui Eccleſiaſticas & Cœleſtes adepti ſunt claves. Non noſtrum qvi paſci debemus, qvi Sanctificari, qvi ligari vel à ligamento ſolvi egemus. Qvantæcunqve enim Religionis & Sapientiæ Laicus exiſtat, vel etiam ſi univerſa virtute interius polleat, donec Laicus eſt, ovis vocari non deſinet, &c. Qvæ ergo vobis ratio eſt in Ordine ovium conſtitutis? Paſtores verborum ſubtilitatem diſcutiendi, & ea quæ ſuper nos ſunt quærendi, & ambigendi habent. Oportet nos ergo cum timore & fide ſincera hos audire, & facies eorum vereri, cum ſint Miniſtri Dei Omnipotentis, & hujus formam poſſideant, & nihil ampliùs quam

ea

ea qvæ nostriOrdinis sunt reqvirere. Hinc Populus remittebatur à Christo ad faciendum non ea, qvæ Principes, Reges, Tetrarchæ, aut Nobiles dicerent: sed qvæ Scribæ & Pharisæi sedentes super Cathedram Moysi, dixerint vobis, servate & facite. Hæretici autem cum plausum qværunt popularem, evenit qvod Hieremias prædixit: *

*Prophetæ prophetabant mendacium, & Sacerdotes applaudebant manibus, & Populus meus dilexit talia, qvid igitur fiet in novissimo eis?

De his loqvitur Dominus per Esaiam, Filij nolentes audire legem Dei: qvi dicunt videntibus, nolite videre: & aspicientibus, nolite aspicere nobis ea qvæ recta sunt: loqvimini nobis placentia: Videte nostros errores: auferte à me viã: declinate à me semitam: cesset à facie nostra Sanctus Jsraël. Idipsum dicit Populus Lutheranus jam suis falsis Prophetis. Summa itaqve est Sacræ Scripturæ, Ecclesiæ & Conciliorum concordia.

De

*Mat. 22. *Hier: 5.

De primatu Sedis Apostolicæ & Petri.

III.

Quia summa Authoritas exterius sit apud Ecclesiam: quam contemplamur in Concilijs & Sede Apostolica. Convenit ut Romani Pontificis & Petri primatum firmemus brevibus.

*POst ConfessionemPetri, Jesus dicit ei: Beatus es Simon Bariona, qvia caro & sangvis non revelavit tibi, sed Pater meus qvi in Cœlis est, & ego dico tibi, tu es Petrus, & super hanc Petram, ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam, & tibi dabo Claves Regni Cœlorum, & qvodcunqve ligaveris super terram erit ligatum & in Cœlis, & qvodcunqve solveris super terram erit solutum & in Cœlis. Patet qvomodo signare voluit Personam Petri, qvia posuit Nomen antiqvum, Simon, Nomen

* Mat. 16.

men novum, Petrus, Nomen Patris Bariona, & demonstrat propriè, tu es, & super hanc Petram, exponit Hieron: id est super te, & tibi dabo Claves, & cætera.

Et per illa verba promissum Petro primatum testantur Sancti Patres, & super Petro ædificandam Ecclesiam.

Cyprianus Libro nono Epistolarum ad Pupianum, & Libro primo ad Cornelium.

Origenes homilia sexta super Matthæum. Hieronymus, Libro primo contra Pelagianos & super Mathæum. 16.

Ambrosius sermone qvadragesimo-septimo.

August: contra Epistolam Donati.

Chrisostomus super Matth.

Hilarius super Matthæum.

Leo in sermone. 3. de anniversario, die suæ assumptionis.

Gregorius in moralibus, & registro ad Mauricium Augustum.

Cyrillus Libro. 2. Cap. 12. super Joannem: Concilium Calcedonense octavum, Nicolai Pape. Vide nostrum Librum

brum. 1. de primatu Petri. Poteſtatem qvam promiſit Chriſtus Petro, dedit poſt Reſurrectionem. Dixit Simoni Petro Jeſus: Sim: Jona: diligis me plus his, dicit ei: Etiam Domine, tu ſcis qvia amo te, dicit ei: Paſce agnos meos, qvod & tertio repetijt paſce oves meas. *

Hic ſoli Petro in præſentia aliorum Apoſtolorum commiſit oves ut Principi Apoſtolorum: nam paſcere in Sacris literis ſignificat regere, & Paſtores dicuntur Reges, Ezechielis. 34. Eſa. 44. & 56. Hieremiæ ſecundo, & vigeſimoſecundo. Pſalmo vigeſimo ſecundo. Et hoc in Hebræo & Græco.

Datum primatum Petro per illa verba teſtatur Cyprianus de ſimplicitate Prælatorum. Hieronymus in ſermone de Petro ad Euſtochium.

Ambroſius in ſermone de pœnitentia & de Fide Petri. Chryſoſtomus ſuper Joannem Homilia. 80. de pœnitentia. Auguſtinus in qvæſt. Novi & Veteris Teſtamenti, qvæſtio. 57.

Leo

* Joan. 21.

Leo in ſermone de Aſcenſione Domini. Gregorius in Homilia Marc. 16. & Epiſtola ad Ciria. Bernardus ſermone. 3. de ſeptem panibus. Beda in Homil.

Primatus Petri probatur ex multis alijs Scripturis Lucæ vigeſimoſecundo. Simon ecce Satanas expetivit vos ut cribraret ſicut triticum, ego autem rogavi pro te, ut non deficiat Fides tua, & tu aliqvando converſus, confirma Fratres tuos. Vide pro Petro rogat præ cæteris, & duo petit. Indefectibilitatem Fidei, & Poteſtatem Confirmandi fideles, Sic Auguſtinus, Chryſoſtomus, Leo, Cyrillus, & Beda capiunt. Matthæi decimoſeptimo, dixit Chriſtus Petro: Vade ad mare & mitte hamum & eum piſcem qvi primus aſcenderit, tolle: & aperto ore ejus invenies ſtaterem, illum ſumens, da eis pro me & te. Patet Chriſtum pluribus diſcipulis præſentibus, ſolum Petrum ſibi æqvaſſe in ſolutione tributi. Ita intelligit Hieron: Auguſt. Chryſoſt. Orien. Ambro.

Matt. 10. Marc. 3. Luc. 6. ubi deſcribitur Apoſtolorum conſtitutio, ab omnibus

bus Petrus ut Caput nominatur primo, qvod pro ejus primatu expendit Hieron. Chrysost. Joan. 21. solus Petrus super aqvam maris ad Christum pervenit. Signum singularis pontificij ait Bernardus de consideratione ad Eugenium. Luc. qvinto. Et si discipulis alijs imperatur ut laxent retia, soli tamen Petro dicitur, duc in altum, ita ponderat Ambro:

De Sanctis Patribus jam audivimus omnes Perto tribuere primatum, à Domino primo promissum, dein post resurrectionem exhibitum, super tota Ecclesia. Addatur tamen prioribus.

Dionysius capite. 3. de divinis nominibus.

Athanasius in Epistolis ad Marcum Liberium & Felicem, in qvibus abunde probat primatum Papæ.

Eusebius Cæsariensis Lib. 2. Cap. 24. Ecclesiasticæ Historiæ. August. tract. 75. super Joannem Lib. 2. contra Donatistas, &c.

Lactantius Libro. 7. instituit: divinarum.

Pau-

Paulinus de S. Felice. Anſelmus ad Urbanum Papæ Valentinianus, Martianus, Phoca, Juſtinianus, Imperatores, ſub titulo de ſumma Trinitate & Fide Catholica. *

Qvæ omnia latiſſimè aſtruximus tribus libris de primatu Petri ad Leonem decimum, Et multa rata invenies in magno opere contra Lutherum. Joan. Fabri Archiducalis Conſiliarij, jam Epiſcopi Vieneñ.

Ratio ſvadet qvia fuit ſummus Sacerdos in veteri lege, cujus Authoritas, audita fuit, ex cap. 17. Deuter: Et regimen monarchicum eſt optimum: & talis ordo eſt in Eccleſia triumphante: & ſicut pulchrè inducit Nazianzenus. Moyſes in dubijs providit Synagogæ, Deuter. 17. Cur Chriſtus non providiſſet ſuæ Sponſæ Eccleſiæ?

Gregor. Lib. 21. Moralium: Omnes Homines natura æqvales genuit. ſed ratione meritorum Ordine, alios alijs occulta diſpenſatione poſtpoſuit; ipſa verò di-

ver-

* Eckius. * Faber.

versitas qvæ accessit ex una, divino dispensatur judicio, ut qvoniam omnis Homo iter vitæ non graditur, altera ab altero regatur. Desiderat fortè Hæreticus Ecclesiam militantem non habere Caput ministeriale, & fiat in Ecclesia qvod scribitur: In illis diebus non erat Rex in Jsraël, sed unusqvisqve qvod sibi bonum videbatur, sic faciebat. *

§ Objiciunt Hæretici.

1. PEtro non promisit nec dedit Christus Claves pro Persona sua, sed qvia gerebat Personam Ecclesiæ.

2. Si super Petro Homine est ædificata Ecclesia, iam portæ inferorum prævaluerunt contra eum in voce unius ancillæ, & qvotidie prævalent successoribus suis peccatoribus.

3. Et cum super Petram sit Ecclesia ædificata, Petra autem erat Christus 1. Corinth. 10. non poterit referri in Petrum, & fun-

* Iudi. 17. & ulti;

fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, qvod positum est.

4. Primitiva Ecclesia Apostolorum non fuisset Ecclesia, cum Petrus. 18. anno post Christum passum fuerit adhuc in Hierusalem. Vbi erat tunc Romana Ecclesia?

5. Petrus nunqvam fuit Romæ.

6. Petrus est membrum Ecclesiæ.

Qvomodo Petrus esset Petra cum Matthæi. 16. dixerit Christus, vade post me Satana.

§Diluuntur ista contra Petrum adducta.

FAtemur cum Augustino Claves datas Ecclesiæ: tamen in Persona Petri, id est, Claves finaliter dedit Christus Petro, ad utilitatem Ecclesiæ. dedit Claves non uni, sed unitati. Ita Petrus gessit Personam Ecclesiæ, sicut Imperator Germaniæ. Itaqve certæ Personæ habent Claves, qvia alias nullus esset illarum usus.

Prævaluerunt Portæ Inferi adversus Per-

* De pri: * De secun:

Perſonas ſuccedentes Petro, non tamen contra Poteſtatem Petri.

Hæc ſucceſſio Petri in Poteſtate manſit, licet Perſonæ peccarent.

Petro autem negante, nondum Eccleſia erat ſuper eum fundata, ſed fundanda, qvia Chriſtus dixit: ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, ſcilicet poſt reſurrectionem.

Et ſi Chriſtus ſit Petra Principalis, & fundamentum primarium, tamen habet Vicarios & ſubſtitutos, ſecundarias Petras, nam cum dicto Pauli qvod ſolus Chriſtus ſit fundamentum, ſtat dictum Joan. Apocalyp: 21. Et murus Civitatis habens fundamenta, 12. & in ipſis duodecim Nomina, duodecim Apoſtolorum magni.

Errat Luther Petrum tam tarde veniſſe Romam, qvia fuit qvinqve annis in Ponto & Aſia, ſeptem in Antiochia, poſtea migravit Romam, licet. 18. anno è Roma venerit Hieruſalem ad Concilium. Porrò nihil ad rem facit. Erat enim Petrus

* De tertio. * De qvar:

trus Summus Pontifex, ubicunque erat: licet revelante Spiritu, ut Marcellus Sanctus Martyr ait, Sedem ſibi Romæ elegerit, priùs itaque tempore fuit Summus Epiſcopus Petrus, qvam Romanus Epiſcopus.

De quin. Hoc novum eſt mendacium Urbani Riegers aut alterius Lutherani, Petrum nunquam fuiſſe Romæ. Et ante Paulum convertiſſe eos, de quibus loqvitur Galat: 2. teſtatur Beatus Hierony: Super illud ad Roman: 1. Ut aliqvid impartiar vobis gratiæ Spiritualis. Ad Confirmandos, inqvit, eos Romanos Petri prædicatione Fidem tenentes. Confirmare ſe velle Paulus dicit, non quo minùs accepiſſent à Petro, ſed ut duobus Apoſtolis teſtibus & Doctoribus eorum corroboraretur Fides, alioqvin curabat, nè ſuper Fundamentum alienum ædificaret.

Vide Ioann: Fabrum. Egeſippus antiqviſſimus, qvi ſub Aniceto venit Romam A. Dom. 160. Is cribit Libro III. de excidio Hyeruſalem, quomodo Nero quæſierit

caussas occidendi Apostolos, datóq; præcepto ut comprehenderentur Apostoli: rogabatur Petrus ut sese alio conferret.

Dionysius Corinthiorum Episcopus existens Romæ, Anno Domini 50. ait. Vos habentes commonitionem à Petro & Paulo, plantationem Romanæ Ecclesiæ conjunxistis. Ambo etiam adventantes, atque in hac Urbe simul docentes, etiam Martyrio pariter eodémque tempore coronati sunt.

Idem testatur quidam Scriptor Cajus sub Zepherino Papa.

Sanctus Ignatius discipulus Joannis Evangelistæ ad Tharsenses scribit: Quid quod Petrus Crucifixus est, Paulus & Jacobus Gladijs obtruncati sunt: Joannes in Pathmum relegatus est: & ad Romanos. Non sicut Petrus & Paulus præcipio vobis, illi enim Apostoli Jesu Christi, ego autem minimus.

Ireneus Lugdunensis Episcopus Libro tertio Capite primo contra Hæreticos, sic inquit: Matthæus Hebræis ipsorum Lingua scripturam dedit Evangelij, cum Petrus

trus & Paulus Romæ Evangelizarent & Fundarent Ecclesiam.

Et Capite. 3. A Gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & Constitutæ sunt Ecclesiæ. Tertulianus Anno Domini 150 vivens, & scripsit Lib. 3. adversus Martionem, Romanis Evangelium Petrus & Paulus sangvine suo signatum reliqverunt, & Libro de præscriptione Hæreticorum loqvens de Roma subdit. Ubi Petrus Passioni Domini coadæquatur.

Eusebius Cæsariensis Libro secundo Historia. inqvit. In ipsis claudij temporibus, Clementia Divinæ providentiæ probatissimum omnium Apostolorum & maximum, fidei magnificentia, & virtutis merito, primorem Principem Petrum ad Urbem Romam deducit.

Et Lib. de temporibus. Eodem Anno ab Herode capitur, & infrà, Petrus Natione Galilæus, Christianorum Pontifex primus, cum primum Antiochenam fundasset Ecclesiam, Romam proficiscitur, ubi Evangelium prædicans. 25. Annis

ejuſdem Urbis Epiſcopus perſeverat.

Gaudentius Brixian, vetuſtiſſimus Scriptor, inqvit. Hac enim die apud Urbem Romam, ambos pro Chriſti Nomine Neronis crudelitas interfecit.

Hieronymus de Viris Illuſtribus. Simon Petrus, Filius Joannis Provinciæ Galileæ, Vico Bethſaida, Frater Andreæ Apoſtoli & Princeps Apoſtolorum poſt Epiſcopatum Antiochenſis Eccleſiæ, & prædicationem diſperſionis eorum, qui de circumciſione crediderant in Ponto, Galatia, Cappadocia, Aſia, & Bithinia, ſecundo Claudij Anno ad expugnandum Simonem Magum, Romam pergit, ibiq; viginti quatuor annis Cathedram Sacerdotalem occupavit.

Dionyſius Areopagita, Sancti Pauli diſcipulus, idem teſtatur ad Timotheum Condiſcipulum, de tranſitu Apoſtolorum.

Linus Papa proximus poſt Petrum ſcripſit Orientalibus pro Martyrio Petri in Urbe.

Ambroſius Serm. 67. inquit. Non ſine cauſa factum putemus, quod una die, uno

uno in Loco, unius Tiranni toleravere ſententiam, una die paſſi ſunt, ut ad Chriſtum pariter pervenirent. Uno in Loco, nè alteri Roma deeſſet, & cæt. & infrà, in Urbe Roma, quæ Principatum & Caput obtinet Nationum, loquitur de Petro & Paulo.

Papias Hieropolitanus, ſcilicet, Joannis Evangeliſtæ auditor, teſtatur Petrum ſuam primam Epiſtolam Canonicam ſcripſiſſe Romæ.

Teſtatur hoc, Athanaſius, Marcellus, Damaſus, Leo, Bernardus, & alij innumeri.

De 6. Petrum membrum & partem Eccleſiæ dicimus, ſed quod propterea non poſſit eſſe Caput miniſteriale, ſeu Vicarius veri Capitis, negamus.

Similiter aliud eſt agere; privatam Perſonam, aliud publicam. Etſi Caput eſt, utique membrum.

Non mirum Petrum increpatum à De 7. Chriſto, quod exiſtimaret, ſuæ Confeſſioni contrarium, Chriſtum occidendum,

quia nondum acceperat Claves, nondum erat confirmatus, nondum venerat super eum plenitudo Spiritus. Ideo nondum fuit Petra, sed post resurectionem Christus fundavit super eum Ecclesiam ut expresse testatur Hieronymus ibi super Matthæum.

Denique Chrysostomus & Hilarius nolunt Nomen Satanæ pertinere ad Petrum, sed ad Diabolum suggestorem hujus Consilij. Porrò lapsus Personæ non tollit Potestatem.

Origenes Homil. 3. in Matthæum dicit: Petrus adhuc plumbeus erat, & fieri potuit, ut revelationem haberet à patre, qua profiteretur Christum esse Filium Dei vivi, attamen lateret eum hoc Magnum Mysterium, quo Christus voluit pro Salute generationis humani Crucifigi, & tertia die resurgere.

Cùm enim Luther per Petram intelligit Fidem, fides æquè amittitur in Homine, sicut Gratia, & non plùs Fides unius Hominis quâm alterius Hominis, & ita super Fide omnium Fidelium est ædificata Eccle-

Ecclesia. Etsi omnes Fideles sunt fundamentum, quam tunc dabit Ecclesiam? nisi ineptissimè dicat, idem fundari super seipso.

§ Adhuc Objiciunt Hæretici contra Petrum & Papam.

1. PEtrus in Apostolos non habuit Potestatem, sed Apostoli in ipsum, qvia ipsum & Joannem miserunt in Samariam. Act.8.

2. Nec Petrus exercuit unquam primatum illum, sicut modo Papa: non vult ullum Episcopum fieri in Mundo, nisi accipiat pallium & confirmationem ab eo.

3. Novit Petrus hoc prohibitum à Chrsto, Luc. 22. facta contentione, quis eorum videretur esse major, dicit eis Jesus: Reges Gentium dominantur eorum, & qvi Potestatem habent super eos, venefici vocantur, vos autem non sic, sed qvi major est vestrum, fiat sicut minor: & qvi præcessor est, sicut ministrator. Liqvet

(inqviunt Hæretici) Reges Gentium, non Pontifices esse, qvi dominantur.

4. Marci decimo, ubi Filij Zebedæi ad hanc aspirarunt Potestatem, receperunt responsum scilicet, ut Calicem biberent, nec tamen certi ubi sessuri essent.

5. Sic superioritatem fugiendam docuit Lucæ. 9. & Matth. 18.

6. Paulus resistit Petro, Galat. 2.

7. Victor Papa volens excommunicare Orientales, fuit prohibitus ab Ireneo Lugdunensi.

8. Anicetus cessit Policarpo Episcopo Smyrneorum.

9. Orientales Episcopi non obedierunt Julio Papæ.

10. Constantinus IV. Imperator constituit Papam esse primum.

11. Sic tot millia Martyrum Orientalis Ecclesiæ essent damnati, similiter Cyprianus, Augustinus, Nicolaus, qvia nunquam fuit Papa super Ecclesias Asiæ, Græciæ, Aphricæ.

12. Quando instituit Antiochenum, Constantinopolitanum, Alexandrinum, aut Indicum?

13. Theo-

13. Theophilus Alexandrinus & Epiphanius depoſuerunt Chryſoſtomum, & idem Epiphanius excommunicavit Joannem Hyeroſolimitanum.

14. Concilium Nicænum teſtatur Epiſcopum gerere curam ſuburbanarum Eccleſiarum.

15. Idem ſtatuit Epiſcopus ordinari ab Epiſcopis Provincialibus, non à Papa.

16. Idem Concilium Hyeroſolymitano tribuit primatum, non Romano. Et Hieroſolyma fuit prima qvia de Sion exibit Lex.

17. Concilio Aphricano quarto. Primæ Sedis Epiſcopus non appelletur, Principes Sacerdotum, aut aliqvid hujuſmodi, ſed tantum primæ Sedis Epiſcopus, & infrà; Univerſalis autem nec etiam Romanus Pontifex appelletur.

18. Et Pelagius & Gregor: renuerunt Nomen Univerſalis Epiſcopi.

19. Primatus Papæ probatur ex Decretis & Decretalibus Romanorum Pontificum. Qvi Libri intra qvadringentos annos nati ſunt.

Hæc fusiùs induximus, quod hic magis vociferentur Hæretici contra petram, quàm omnes impetivere.

§ Diluuntur Objecta.

de 1. PEtrum exercuisse primatū iam dicemus. At cum argutaris Petrus fuit missus ab Apostolis in Samariam, quare sit minor Apostolis.

Et Forma argumentandi Arrianorum, quia Pater misit Filium. Joannis. 6. & 20. & ad Galatas. 4. Itaque Pater est major Filio, qvia mittens major est misso, qvasi non Herodes miserit tres Magos, ut adorarent Puerum, qvi major Magis non fuit, & freqvens est potiores mitti ex Collegio & Senatu. Consilio scilicet vel amore, non Authoritate inferiorum.

Unde Josue. 22. legitur, qvod cum audissent Filij Jsraël ædificasse Filios Ruben & Gad & dimidium tribus Manasse, Altare in Terra Canaan, super Jordanis tumulos contra Filios Jsraël, convenerunt omnes

nes in Silio, ut ascenderent & dimicarent contra eos. Et interim miserunt ad illos, in Terram Galaad, Phinees Filium Eccleazari Sacerdotis, & decem Principes cum eo, singulos de singulis Tribus, ut eos super hoc facto Sacrilego deprehenderent. Ecce Filij Jsraël inferiores Populi, miserunt Phinees qvi fuit eorum Dux coram Domino, ut dicitur 1. Para. 9. Patet itaque ex Divinis literis nihil habere conseqventiæ. Hic est missus, ergo est minor mittente aut mittentibus.

Dei 1. Petrus executus est Officiũ suum. Nolumus recensere quæ Joannis. 6. Lucæ duodecimo. Mathæi decimo nono. Lucæ quinto. Matthæi quarto. Matthæi decimoseptimo. Matt. decimooctavo, recensentur, sed qvando in Actu jam erat Pontifex creatus audiamus qvid fecerit: Nam primo ordinationem Matthiæ in Apostolum direxit. Exurgens Petrus in medio Fratrum dixit: Viri Fratres &c. Actuum. 1. Secundo in die Pentecostes omnes Apostolos defendit: Stans Petrus

cum undecim, elevavit vocem ſuam. Actorum ſecundo.

Tertio præſente Joanne ſanavit claudum, & coram Populo defendit. Actorum tertio. Quarto in Concilio defendit ſe & Joannem Act. 4.

Quinto, in Ananiam & Saphiram ſententiam mortis protulit. Act. 5. quod fuit maximum Poteſtatis coërcivæ indicium. Sexto, Simonis maledictam nundinationem coërcuit, Actuum octavo. Septimo juſſus fuit etiam Gentes tanqvam prælatus in ſuam Poteſtatem ſuſcipere, qvando vidit linteum, in quo erant Beſtiæ & reptilia, &c. & facta eſt ad eum vox: Surge Petre, occide & manduca.

Act. 10. Hic juſſus fuit velut Caput, Gentes incorporare Eccleſiæ. Octavo in Concilio Apoſtolorum fuit Author ſententiæ ceſſationis legalium, ut docet Hieronymus, & Actorum decimoqvinto. Cave itaqve Hæretice mentiri in Sanctum Petrum, quod Poteſtate Divinitus tradita non ſit uſus.

De adjuncto falſum eſt; nam Patriar-
chæ,

chæ, qvilibet confirmavit suos Episcopos, & Thessalonicensis confirmavit suos Episcopos Greciæ, tanquam Vicarius Papæ, ut liqvet ex actis Leonis Papæ. Existimat Hæreticus omnes Episcopos habere pallia, qvod falsum est, qvia regulariter Archi-Episcopi habent, & pauci Episcopi ex Privilegio, sicut Bambergensis in Germania. De ratione pallij ex Beato Gregorio in Regi.

Li. 3. de Primat. Pet. C. 35. *De 3. Constat Christum prohibuisse ambitionem, tyrannidem: non Potestatem, qvia illa à Deo, & qvi Potestati resistit, ordinationi Dei resistit, ad Rom. 13. Voluit ergo docere Humilitatem Præsidentis, non auferre Potestatem ejus. Sicut ex eo quod ipse ministrabat, & alios majores ministrare docuit, male inferret qvis, Christum nullam habuisse Potestatem. Et cum Christus dixit: qvi major est vestrum, constat quod voluit aliqvem esse majorem in Potestate, licet conjungat ei ut sit sicut minor per exhibitionem ministerij.

De 4. & 5. similiter respondemus, nã voluit, ut Hieronimus inqvit, suos ad sumitatem virtutum, non Potentia, sed Humilitate pervenire, nam existentes in Potestate debent se intus humiliare, ac si non essent in Potestate, ut parvuli fiant humilitate, non sensu, ac ætate.

De 6. Paulus reprehendit Petrũ, qvia attinebat ad ædificationem Fidei, hoc est ad Officium Apostolatûs, in quo erant æqvales, tamen regimine & Potestate Petrus adhuc erat Prior. Nam hodie etiam sæpe contingit Papam, & alios Superiores reprehendi ab inferioribus. Imò Hæreticus Luth. omnes reprehendit Ecclesiasticos Prælatos, qvi nullius est Superior.

De 7. & 8 Anicetus primus statuit Pascha celebrari Domini. die, confirmavit primò Pius, deinde Victor, & obtinuerunt. Restiterunt primò Orientales, qvia ex jussu S. Joan. 14. Luna primi Mensis celebrabant. Policarpus ex Smyrna adijt Anicetum (ecce Græcus ad Romanum) qvi credidit ei, Sacerdotali Officio perfungi. Nec

Nec Anicetus Policarpo ſvadere poterat, inqvit Euſebius in Eccleſiaſtica Hiſtoria. Corruptor Luther ait, Anicetum ceciſſe Policarpo. Orientales reſiſtentes Victori excommunicare voluit, qvem Ireneus monuit, non quod Victori eſſet nulla in Orientales Poteſtas, nam Sanctus Martyr cur attentaſſet? ſed pro conſideranda concordia Eccleſiæ & Pace, conſuluit turbationem non moveri in Eccleſia.

De 9. Mirũ quod Hæreticus innititur facto Hæreticorum, nam illi Orientales, expulerant Athanaſium & Paulum, qvi confugientes ad Julium Papam, citatis & excommunicatis Hæreticis fuerunt reſtituti. Hic ruit Hæreticus, quia Papa Julius ante M. C. annos Poteſtatem habuit in Orientales Epiſcopos Aſiæ & Ægypti.

De 10. Falſum eſt Conſtantinum quartũ primum dediſſe primatum Romano Pontifici, cum antea habuerit ex Evangelio, confirmantibus Imperatoribus Conſtantino, Valentiniano, Gratiano, Theodoſio,

Mar-

Martiano, Baſilio, & alijs. Unde non inconvenit Juri Sedis Apoſtolicæ Decreta etiam Principum accedere, quo temeritas Rebellantium comprimatur. Erravit tamen Hæreticus Conſtantinum quartum quicquam in ea reſtituiſſe, ſed ſolum remiſit confirmationem Papæ electi, quam Imperator, ante ſuo modo facere ſolebat.

De 11. Nullus Sanctorũ Martyrum ſubtraxit ſe ab obedientia Petri vel ſucceſſorum ejus, ubi & quando oportebat. Fallitur Hæreticus, quòd ſi Papa ſit Supremus, oporteat omnes Epiſcopos ab eo confirmari, nam ſicut Sacerdotes ab Epiſcopis, ita Epiſcopi ab Archi-Epiſcopis, primatibus aut Patriarchis ſufficiat confirmari. Ita de Ambroſio, Auguſtino & Nicolao ſentias.

Credo in Germania factum ſuperbia Epiſcoporum, quod excuſſerunt Poteſtatem primatis Magdeburgenſis. Et priora liquent ex octava Synodo, ex Concilio Nicæno & alijs, vide diſtinctionem.

64. Decreti. Aphricæ Episcopos fuisse sub Romano Pontifice patet, quod ex Concilio Milevitano scripserunt ad Innocentium primum, petentes illius confirmationem, vide in Epistolis August 90. & 91. Concilia tertium & quartum Carthaginensia, Authoritate Zozini Papæ, & alia Authoritate Bonifacij fuerunt confirmata, quoniam misit illuc Faustinum Episcopum, illis interfuit Augustinus. Concilia sub Cypriano in Aphrica petierunt approbationem à Cornelio Papa Libro 11. Epistolarum, Epistola .2. Cypriani: & Libro 2. Epistola iii. Asiæ Episcopos Ægypti & Græciæ fuisse sub Roma: Pontifice jam patuit, qvia restitutus Athanasius, restitutus Chrysostomus, restitutus Flavianus, restitutus Appiarius in Aphri: per Rom: Pontificem. Vide in primatu nostro plurima.

De 12. Institutio Episcopi ut fiat imediate à Roma: Pontifi: non est necessarium: tamen illas Ecclesias fuisse subjectas Papæ, liqvet ex eo, quod restituit ejectos ex

his

his Ecclesijs Et hodie à Leone Papa. 10. & Adriano sexto, Episcopi Asiatici ceperunt confirmationes.

De. 13. Quantū potest Hæresis? nam cum nihil solidi pro se habet, affert iniqvissimam optimi Episcopi ejectionem Joannis Chrysostomi, qvi per Theophilum avarissimum & pessimum Alexandrinum, adjuvante impia Eudoxia Imperatrice, iniqviter est ejectus.

Hujus Sancti Viri injuriam Hæreticus pro jure adducit, obticet verò, quod per Innoccentium Papam fuit restitutus, & negotium per Papam, Alexandro Antiocheno commissum, & Imperator Archadius resistens Papæ & Chrysostomo, fuit excommunicatus. I. nunc Hæretice & nega Episcopos Greciæ fuisse sub Rom. Ponti. De Joanne Hierosolymitano, liqvet ex Beato Hieronymo, fuisse Concilium evocatum Antiochiæ (nam sub illo Patriarcha erat tunc Episcopus Hierosolymitanus & sub Archi Episcopo Cæsariësi) & à synodo damnatum Joannem, in qva plu-

plurimæ Authoritatis erat Epiphanius.
De. 14. Ex Nicæno Concilio. Romano: Pontifice. agnoſcit primatus: Canon Nicæni Concilij, 6. ſic habet: Mos antiqvus perduret in Ægypto, Libia & Pentapoli, & Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat Poteſtatem, qvandoqvidem & Romano Epiſcopo parilis mos eſt. Similiter autem apud Antiochiam & cæteras Provincias, Honor ſuus unicuiq; ſervetur Eccleſiæ. Liqvet Lectori non hic prohiberi primatum Romanæ Eccleſiæ, quod Hæreticus torqvet, ſed qvia tunc Authoritas trium Eccleſiarum Patriarchalium fuit confirmata, nam tres tantum erant illo tempore Sedes Patriarchales, Romana ſcilicet, Antiochena, & Alexandrina. Imò fortiùs, per illud Concilium probatur primatûs Romæ Pontificis, primo, qvia licet Nicæa eſſet in Aſia, tamen Oſius Corduben: Nomine Papæ præſedit Concilio, & primus ſe ſubſcripſit, non Nomine ſuo velut reliq; Epiſcopi omnes, ſed Nomine Papæ. Secundò qvia in Concilio Nicæno ſtatutum fuit,

fuit, ut in causa depositionis Episcopi posset appellari ex toto Orbe ad Romanum Pontificem. Huic innitebatur Athanasius, & obtinuit. Huic Chrysostomus & obtinuit. Et qvando Ecclesia Aphricæ reluctabatur Zozimo Papæ in restitutione Appiarij, certior facta de illo Nicæno Concilio, acquievit. I. nunc Hæretice, & insanias Nicænum Concilium adversari Papæ.

De. 15. Dis. 64. c. Cum Provincia: De ordinatione Episcoporum, qvid hæc ad primatum? cum hodie rarissime Papa ordinet Episcopum, aut fortè nunquam, sed in hunc diem, tres Episcopi convenientes ordinant & consecrant Episcopum.

De. 16. Canon. 7. Concilij sic se habet.

QVia Consvetudo obtinuit & antiqva traditio, ut Heliæ Episcopus honoretur, habeat honoris conseqventiam, salva Metropoli dignitate.

Hic

Hic ſtupidus Hæreticus nugatur primatum tributum Hieroſolymitano, cum adeò non tribuat ei primatum, ut ſinat illum ſubjectum Metropolitano, qvi erat Cæſarienſis, teſte Hieronymo. Honorandum ergo ſtatuit Hieroſolymitanum antiqva traditione, ſed nihil ad primatum, porrò Hieroſolymitana fuit prima tempore, ſed non dignitate.

De: 17. Conciliũ Aphricanum nihil agit de primatu, nihil de Roma, ſed inter ſe cõſtituerunt Epiſcopi Aphricani, ne primates eorum (ſicut erant Carthaginenſes, Numidiæ, Mauritaniæ, & cæteri) glorioſos ſibi vendicarent titulos, & jurisdictionem ſuper alios, hoc & nihil aliud habet Canon. 6. Concilij 3. Aphricani, & Delyrus Hæreticus cum apud Gratianum. 99. diſtinctione, primæ Sedis legiſſet verba Gratiani continuata ad ſeqventia, credidit illa eſſe verba Concilij, & non ſunt, de Univerſali Epiſcopo mox dicemus.

De. 18. Gregorius & Pelagius non reſpuerũt primatum Eccleſiæ Romanæ, ſed approba-

ba-

baverunt, ut de primatu Petri latissime ostendimus.

Sed sic negaverunt, aliqvem posse esse Universalem Episcopum, qvod videlicet esset cujusqve Ecclesiæ Proprius Rector, qvoniam sic nullus alius esset Episcopus, & Honor Episcopalis omnibus detraheretur, & in unum solum rejiceretur.

Quod qvia esset Hierarchici ordinis destructivum, meritò reprobarunt Sancti Patres, servata Ecclesiæ Romanæ dignitate.

De. 19. Primatus Rom: Ecclesiæ non solũ ex Decretis Pontificum probatur, sed ex Evangelio, ex Sanctis Martyribus, Concilijs & Doctoribus: sed errat Hæreticus, credit non fuisse alia jura Canonica, nisi post ortum Decretum Gratiani, & Decretales Gregorij noni, cum semper in Ecclesia, statuta & jura fuerint, sicut olim erat Codex Canonum, Decretum Paschasij, Decretum Burckardi, Panormia Juon, &c. Evanescunt itaqve omnia Hæretica, ut bulla aqvæ.

Con-

CONCLUSIO.

SUscipiamus omnes Authoritatē Ecclesiæ, in Apostolica Sede Romana relucentem, qvum eam in rebus arduis Fidei consulverit Hieronymus In Epist. ex alia ad Damasum, Augustinus ex Aphrica, ad Innocentium, & Bonifacium, ac Cyprianus ad Cornelium, Athanasius ex Ægypto ad Marcum, & Julium. Ambrosius ex Italia, &c.

Jam defendentes se contra rebaptizatores, recedunt ab eorum basi, unde multa fatentur non scripta & tamen tenenda, Zvinglius adducit de Baptismo Mariæ, De Baptismo parvulorum.



Ex Scripturis temere repugnare Hæreticos. IV.

Præter superius dicta de Ecclesia & Concilijs hæc subjiciamus.

PROPOSITIO I.

QUia Hæretici nihil volunt recipere, nisi probetur expresse per Scripturas. Itaque Lutherani non recipient perpetuam Virginitatem Mariæ, sicut Helvidius, contra quem scripsit Beatus Hieronym: quia in Scripturis non probatur, sed plures Scripturæ apparenter sunt pro Helvidio.

Articulus in Symbolo Fidei, descendit ad inferna, nōn expresse probatur ex Scripturis, quare Luther non credet illum Articulum, nam si qvis objecerit illud Ecclesiastici vigesimoqvarto: Penetrabo omnes inferiores partes terræ. Dicet protervus, penetrabit virtute, non loco.

Id erit ei cum multis Catholicis commune. Si Paulum quis attulerit, *ad Ephesios 4.* Quod autem aſcendit, quid eſt, niſi quia & deſcendit primum in inferiores partes terræ.

Mox dicet Apoſtolum loqui, Filium Dei deſcendiſſe in uterum Virginis, qui aſcendit ad alta cœlorum. Partes autem terræ ſunt inferiores Cœlo & Elementis. Similiter Symbolum Apoſtolorum, Athanaſii homouſion, perſonam in divinis, Annam Matrem Mariæ, diem Dominicam Lutherani non obſervabunt. Judicio Lutheranorum Chriſtus non bene probaſſet contra Saducæos reſurrectionem corporum, non enim eis adduxit clarum textum, ſed quia dictum eſt, Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Jacob, non eſt Deus mortuorum, ſed viventium: & tamen tum ſolùm vivebant ſecundùm animas, non ſecundùm corpora.

Auguſtinus ad Caſulanum Presbyterum. In his rebus, de quibus nihil certi ſtatuit Divina ſcriptura, mos Populi Dei, Inſtituta Majorum pro Lege tenenda ſunt, & ſi-

cut prævaricatores Divinarum Legum, ita contemptores Ecclesiasticarum Consvetudinum, coërcendi sunt.

Simile adCresconium grammaticum: Non sunt igitur, solùm credenda & servanda (id quod volunt Lutherani) quæ expressè habentur in Divinis literis, aut probantur ex ipsis, verùm etiam ea oportet credere & servare, quæ sancta Mater Ecclesia credit & observat. Non enim omnia tradita sunt manifestè in sacris Scripturis, sed quamplurima Ecclesiæ (quæ à spiritu sancto illustratur, & gubernatur, & ob id à veritatis tramite errare nequit) determinanda relicta sunt. Unde Salvator ad Discipulos suos *Ioannis 15.* dixit: Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Multa igitur in suis Ritibus & Cæremoniis observat Ecclesia, ex familiari instinctu Spiritûs sancti, & traditione Apostolorum & Sanctorum Patrum, quæ etsi expressè in sacris literis non habeantur, ipsis tamen nequaquam obvi-

obviant, aut ab ipsis discrepant. Imò maximè ipsis sunt conformia, & ob id ab omnibus veris Evangelicis & Paulinis (quales se mendaciter gloriantur Lutherani) Christianis, amplexanda & observanda. Itaq; Fratres state, & tenete Traditiones quas didicistis, sive per Sermonem, sive per Epistolam nostram. *8. Thes. 2.*

Cætera cùm venero disponam. *2. Corinth: 11.* Hic de Eucharistiæ Sacramento loquens, innotescit se omnia non scripsisse sed cùm ad ipsos venerit, reliqua non scripta dispositurum.

Plura habens vobis scribere, nolui per Chartam, & atramentum; Spero enim me futurum apud vos, & os ad os loqui: ut gaudium vestrum plenum sit. *2. Ioann. Cap: un.*

3. Ioann. Cap. unico. Multa habeo tibi scribere, sed nolui per atramentum & calamum scribere tibi. Spero autem protinus te videre, & os ad os loquemur.

Innoc: III. de celebr: Missarum, Cap: Cùm Mariæ. Sanè multa tam de verbis, quàm factis Dominicis invenimus ab Evange-

listis omissa, quæ Apostoli vel supplevisse verbo, vel facto expresisse leguntur. *Actor*: *20*. Paulus enim in Actibus Apostolorum sic ait: Meminisse nos oportet verbi Domini Jesu, qui dixit: Beatiùs est magis dare, quâm accipere. *Act*:*20*. Hæc nullus quatuor Evangelistarum descripsit. Nullus etiam expressit, quòd Paulus de apparitione plus quam quingentis Fratribus simul facta. *1. Cor*:*1*.

In Ecclesiasticis Observationibus sunt nonnulla hujusmodi quæ omnibus quidem facere necesse est, nec tamen ratio eorum omnibus patet. *Origenes Homilia 5. super Numeros*. Nam quòd (verbi gratiâ) genu flectimus orantes, & quòd ex omnibus Cœli plagis ad solam orientis partem conversi, orationem fundimus, non facilè cuiquam puto ratione compertum, &c. Hujus tamen rationem tradit Damasc: *Damascenus l. 4. de Orth. cap. 13. & 17.* ita inquiens: Quia Deus est lux intelligibilis; & Sol justitiæ & oriens, in Scripturis nominatur Christus, dedicandus illi oriens est ad orationem.

Nam

Nam omne præſtantiùs, magisque bonum illi offerendum, à quo omne bonum benignè largitur.

PROPOSITIO II.

Lutherani contendunt Scripturas Sacras, eſſe claras, ideò laici & deliræ anus eas tractant imperioſe.

Contradicit Petrus, loquens de Epiſtolis Pauli. *2. Cor:3.* In quibus, inquit, ſunt quædam intellectu difficilia, quæ indocti & inſtabiles depravant, ſicut cæteras Scripturas, ad ſuã ipſorum perditionem. Ecce difficultatem illarum, & quomodo vivente Paulo fuerunt depravatæ, ſicut hodie faciunt Lutherani.

Hieronymus ad Algaſiam: Omnis Epiſtola Pauli ad Romanos nimis obſcuritatibus involuta eſt.

Quod ſi etiam opertum eſt Evangelium noſtrum, in his qui pereunt eſt opertum. *2. Cor. 4.* Si Sacra Scriptura eſt apertiſſima, mirum cur Sancti Patres, qui tam frequenter legerunt, non intellexerunt à M. CC. annis, quod ſi Auguſtino, Hiero-

nymo, Bernardo, Thomæ, fuit obscura, quomodo laicis Lutheranis erit aperta? *Lucæ 10.* Protulit duos denarios & dedit stabulario, & ait: Quodcunq; supererogaveris, ego cùm rediero, reddam tibi. Duo Denarij, sunt duo Testamenta: tum quid Apostoli & Doctores supererogant, Deus retribuit.

PROPOSITIO III.

Malè Hæretici nolunt alium Judicem, quàm Scripturam.

In Veteri Testamento Lex non fuit Judex, sed Summus Sacerdos. *Deut. 17.*

Si difficile & ambiguum, &c. *vide suprà Titulo I.* Cùm fuerit Controversia, stabunt Sacerdotes in Judiciis meis, & judicabunt. *Ezech. 44.*

Et Catholici quoque admittunt Scripturam maximè, sed intellectu ab Hæreticis differrimus, ideò oportet alium esse Judicem, quàm Scripturam, *scilicet*, Ecclesiam.

Monstratur hoc ad oculum, exemplo à modernis Hæreticis (quia alium quam Scrip-

Scripturam Judicem nolunt) ſumpto, pugnant inter ſe Lutherani & Oecolampadiani & Zwingliani, de Euchariſtiæ Sacramentò, an verè & ſpiritualiter ſit hic Corpus & Sangvis Chiiſti, aut ſolùm figura & ſignum. Quis inter hos Judex erit? Quis hos unquam concordabit? Scriptura ne, an Eccleſia? Alius profectò præter has Judex dari nequit. Non quidem Scriptuta, quàm utrique Judicem eſſe contendunt; fundant ſe, quippe in eiſdem Scripturæ verbis, & ita ipſi non Scripturam Judicem admittunt contra ſuam ipſorum doctrinam, ſed ſeſe ſupra Scripturam Judices faciunt. Eccleſia proinde neceſſe Judex erit, quæ credit, Virtute verborum Chriſti transſubſtantiatis Pane & Vino in hoc Sacramento eſſe verum Corpus Chriſti & Sangvinem, ſub ſpeciebus Panis & Vini.

Pſal. 132. Sicut Ungventum in Capite, &c. ita & à Capite Chriſto in Apoſtolos transmiſſa verba, ſunt iterum ab Apoſtolis in veſtimentum effuſa, uſque in omnia veſtimenta, id eſt, uſque ad finem

Ecclesiæ, quæ est tunica inconsutilis.

Etiam diabolus allegavit Scripturam contra Christum. *Matth.4.* Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te, &c. sed verum Intellectum non tenuit, *ut inducit Hieronym: contra Luciferianos*, atq; Scripturæ non in legendo, ut imperitum vulgus jam Lutheranæ Hæresis sentit, sed intelligendo consistant. *Hieronym. ibidem.* Ideò Tertullianus patenter ostendit *Libro de Præscriptionibus Hæreticorum*, eos nequaquam admittendos ad ineundam de Scripturis provocationem. Omnes Hæretici confugerunt ad Scripturas malè ab eis intellectas.

Augustinus. Arrius adduxit pro se 42. locos Sacræ Scripturæ.

Lutherani recipiunt Scripturas, sicut Judæi vetus Testamentum, quia insistunt solùm sensui literali, & quæ sunt eis contraria ipsi torquent, unde sunt Theologi atramentales, secundùm corticem & superficiem. Ideò judaicum est, scripturis impugnare Ecclesiam. *Luther in Assertionibus dicit*; Superbis & impiis Scripturam

ram semper esse majoris cæcitatis occasionem. Hoc dictum redundat in Caput Authoris & suorum sequacium.

DE FIDE & OPERIBUS V.

PROPOSITIO I.

Fidem non sufficere sine Operibus, & Opera aliquid esse, id est, meritoria vitæ æternæ ex gratia Dei acceptante.

Ait Dominus ad Abraham: Ego ero merces tua magna nimis. *Genes. 15.*

Ecce merces ejus cum eo. *Esai. 40.*

Est merces Operi tuo, ait Dominus. *Hierem. 31.*

Seminate vobis in justitia. *Ose: 10.*

Impius facit Opus instabile, seminante autem Justitiam, merces fidelis. *Proverb: 11.*

Bonorum Operum gloriosus est fructus. *Sap. 3.*

Justi in perpetuum vivent, & apud Dominum est merces eorum.

Reddidit Deus Justis mercedem laborum suorum. *Sap. 10.*

Qui timetis Deum, credite illi, & non evacuabitur merces veſtra. *Eccleſ. 2.*

Quodcunq; poteſt manus tua, inſtanter operare. *Eccleſ. 9.*

Miſericordia facit unicuique locum, ſecundùm meritum Operum ſuorum. *Eccleſ. 19.*

Obſervabo me ab iniquitate mea, retribuet mihi Dominus ſecundùm juſtitiam meam. *Pſal. 17.*

Inclinavi Cor meum ad faciendas juſtificationes tuas in æternum, propter retributionem. *Pſal. 118.*

Reddet tibi Dominus pro Opere tuo, & plenam mercedem accipies à Domino Deo Iſraël, ad quem veniſti. *Ruth. 2.*

Confortamini, & non diſſolvantur manus veſtræ, id eſt, Opera: Erit merces Operi veſtro. *2. Paral. 15.*

Qui metit mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam, ut & qui ſeminat ſimul gaudeat & qui metit. *Ioan. 4.*

Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in Cœlis. *Math. 5.* Et iterum.

Gau-

Gaudete in illa die & exultate, ecce enim merces vestra multa est in Cœlo: Si merces, ergo & meritum, cui merces debetur: Dicuntur enim relativè ad invicem, ubi unum nequit intelligi sine alio. *Lucæ 6.*

Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in Regnum Cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei qui in Cœlis est. *Math. 7.*

Quicunque potum dederit uni ex minimis istis Calicem aquæ frigidæ, non perdet mercedem suam. *Idem, 10.*

Voca Operarios, & redde illis mercedem. *& antea*: Quod justum fuerit dabo vobis.

Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.

Esurivi, & dedistis mihi manducare, &c. Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi. *Math. 19. 25.*

Procedunt qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in resurrectionem judicij. *Ioan. 3.*

Vos

Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis. *Ioan.15.*

Reddet Deus unicuique secundùm Opera ejus. *Roman. 2.*

Gloria & honor omni operanti bonũ.

Non enim auditores Legis justi sunt apud Deum, sed factores Legis justificabuntur.

Unusquisque mercedem accipiet secundùm laborem suum. *1. Corinth. 3.*

Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Domini nostri JESU Christi, ut referat unusquisq; propria corporis prout gessit, sive bonum, sive malum. Si volens hoc agã, mercedem habeo. *1.Cor. 9.*

Abundantes in omni Opere Domini semper, scientes, quod labor vester non est inanis in Domino. *1.Cor.15.*

Id quod in præsenti est momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis. *2. Cor. 4.*

Quæ seminaverit homo, hæc & metet, &c. *Galat 6.*

Quodcunque facietis, ex animo operami-

ramini, ſicut Domino, & non Hominibus, ſcientes, quod à Domino accipietis retributionem hæreditatis. *Col. 3.*

Ambuletis digne Deo per omnia placentes, in omni bono fructificantes. *Col:1.*

Mihi vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum. Si lucrum, ergo meritum. *Phil. 1.*

Cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini. *Phil: 2.*

Non eſt injuſtus Deus ut obliviſcatur operis veſtri, & dilectionis quam oſtendiſtis in nomine ipſius, qui miniſtraſtis ſanctis. *Hebr. 6.*

Beneficentiæ & communionis nolite obliviſci, talibus enim Hoſtiis promeretur Deus. *Hebr. 13.*

Videte vosmet ipſos, ne perdatis quæ operati eſtis, ſed ut mercedem plenam accipiatis. *2. Ioann. cap. unico.*

Filioli, nemo vos ſeducat, qui facit juſtitiam juſtus eſt, ſicut & ille juſtus eſt. *1. Ioan. 3.*

PROPOSITIO II.

Juſtus non peccat in omni opere bono, opus autem bonum vivum eſſe meritori-

ritorium, non mortuum. *Vide Tomo 1. Homil. 2. Septuagesimæ.*

Qui operantur in me non peccabunt, & qui elucidant me, vitam æternam habebunt. *Eccl. 24.*

Virgo si nubat, non peccat. *1. Cor. 7.*

Satagite Fratres, ut per bona opera certam faciatis vestram vocationem & electionem: Hæc enim facientes non peccabitis aliquando. Sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum Regnum Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi. *2. Petri 1.*

Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ejus manet in eo, & non potest peccare, quia ex DEO natus est. *1. Ioann. 3.* Nota. Non potest peccare, sequens inclinationem charitatis, secundùm quam natus est ex DEO, quia Charitas non agit perperã. *1. Cor. 13.*

Hæc scribo vobis ut non peccetis. 1. *Ioan. 2.*

Ex bonis operibus vos considerantes glorificent Deum. *1. Pet. 2.*

Fructificantes in omni opere bono. *Coloss. 1.*

Evi-

Evigilate juſti, & nolite peccare. *1. Corinth. 13.*

Si oculus tuus fuerit ſimplex, non habens aliquam partem tenebrarum, totum corpus tuum (id eſt, tota congeries operum tuorum) lucidum erit. *Matth. 6.*

PROPOSITIO III.

Fidem aliquam eſſe inanem, quia ſine operibus.

Iacob. 2. Quid proderit Fratres mei, ſi Fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat, nunquid poterit Fides ſalvare eum? Infrà: Fides ſi non habeat opera, mortua eſt in ſeipſa. Infrà: Vis autem ſcire ô Homo inanis, quoniam Fides ſine operibus mortua eſt, &c.

PROPOSITIO IV.

Ioann. 8. Fides eſt opus. Quid faciemus ut operemur opera Dei? Reſpondit Jeſus: Hoc eſt opus Dei, ut credatis in eum quem miſit ille. Et iterum: Si filij Abrahæ eſtis, opera ejus facite, ſed præcipuum opus Abrahæ, erat fides. Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi in juſtitiam. *Geneſ. 15.* Ecce fides inter opera computatur.

PRO-

PROPOSITIO V.

Non ſufficit credere. Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in Nomine Patris,& Filij,& Spiritûs Sancti docentes (non ſolùm credere,ſed etiam) ſervare omnia quæcunque mandavi vobis. *Matth. ult.*

Non ſufficit, quod cæco liniatur oculus luto, ſed oportet quod vadat ad natatoria Siloë. *Ioann. 9.*

Si habuero omnem Fidem,ut montes transferam , charitatem autem non habuero, nihil ſum. Per hoc probat Auguſtinus 15. de Trinitate, fidem non habere neceſſario charitatem añexam. *1. Cor. 13.*

Itaque operemur bonum ad omnes, maximè ad domeſticos fidei. *Galat. 6.*

Bonum certamen certavi , curſum conſummavi , fidem ſervavi , de reliquo repoſita eſt mihi Corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, juſtus Judex. *1. Tim. 4.*

Vobis donatum eſt pro Chriſto,ut non ſolùm in eum credatis, ſed etiam ut pro illo patiamini. *Phil. 1.*

PRO-

PROPOSITIO VI.

Charitas eſt melior & perfectior Fide.

Nunc autem manent Fides, Spes, Charitas: major autem horum eſt Charitas. *1. Corinth. 13.*

Charitas manet in Beatitudine & perficitur, Fides non.

Charitas nunquam excidit: Cum venerit quod perfectum eſt, evacuabitur quod ex parte eſt.

Via Charitatis eminentior quàm Fidei: unde Paulus dicturus de Charitate inquit: Et adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro. *1. Corinth: 12.*

Idem ait: Finis Præcepti Charitas. *1. Timoth.* 1.

Chriſtus interrogatus de magno mandato, reſpõdit de dilectione, quod eſt maximum & primũ mandatum. *Matth: 22.*

Objiciunt Hæretici.

1. Juſtus ex Fide vivit, itaque non ex operibus. *Abac. 2.*

2. Qui credit in Filium Dei, non condemnatur. *Roman.* 1.

3. Creditis quia hoc poſſum facere

vo-

vobis, secundùm fidem vestram fiat vobis. *Matth.9.*

4. Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam. *Genes.* 13.

5. Qui verbum meum audit & credit ei qui misit me, habet vitam æternã. *Ioann.5.*

6. Fides tua te salvam fecit, opera sunt hypocritarum. *Matth. 9.*

7. Charitas est fructus Fidei, quare sola Fides sufficit. *August. de Fide & Ope:*

8. Paulus ad Romanos, & ad Galatas, contendit hominem justificari per Fidem sine Operibus.

Respondent Catholici.

Hic constat verum esse, quod August: inquit hanc hæresim (non enim nova est, sed antiquissima) exortã ex verbis Pauli malè intellectis.

De I. Hebr. 11. Fatemur Justum ex Fide vivere, est enim Fides fundamentum spiritualis ædificij, quia sperandarum rerum substantia. Sed quod Hæreticus assumit ex sola fide, lacerat & falsificat textum, quia nullibi dicit justum ex sola Fide vivere.

De

De II. Credere in Deum uſu Scripturæ, includit adhærere Deo per Charitatem, ſecundùm Auguſtinum. *Auguſtinus Tract. X. ſuper Ioh. habetur de Pe. diſ. 2. Cap.* Charitas eſt Aqua. 'Theologi juniores appellant FIdem formatam: liquet ex S. Paulo: In Chriſto Jeſu neque Circumciſio quicquam valet, neque præputium, ſed Fides per Charitatem operans. *Galat. 5.* Ecce Paulus non dicit ſufficere quamcunque Fidem, ſed quæ operetur per Charitatem.

De III. Liquet ex ſecundo, licet Fides etiam informis poterat aliquid temporalis comodi impetrare, ſicut Romani virtutibus impetrarunt tantam dignitatem, *ſecundùm Auguſtinum de Civ. Dei, lib. 5.*

Et Raab meretrix fide non periit (*ut dicit Apoſt. Hebr.* 11.) cum incredulis, excipiens exploratores cum pace. Ita & ipſius Fide informi concomitante ipſam humili & devota oratione, impetrare poteſt ſui à peccatis per gratiam juſtificationem. Gredenti enim in eum qui juſtificat impium, reputatur fides ejus ad juſtiti-

ſtitiam. *Roman.4.* Accedentemque ad Deum, oportet credere quia eſt. Sine fide enim impoſſibile eſt placere Deo. *Heb.* 11.

De IV. Reſpondet S. Jacobus. *Iac:* 2. Abraham Pater noſter nónne ex operibus juſtificatus eſt, offerens Iſaac Filium ſuum ſuper Altare? Vides quoniam Fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus Fides conſummata eſt, infra: Videtis quoniam ex operibus juſtificatur homo, & non ex Fide tantum.

De V. Dicatur ſicut de ſecundo.

De VI. Similiter. Quod autem calumniatur opera facere hypocriſim, cur tunc Chriſtus dixit: Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in Cœlis eſt. *Mat.5.*

Et Beatus Petrus in Canone ſuâ hortatur Fideles, dicens: Converſationem veſtram inter gentes habentes bonam, ut in eo quod detractant de vobis tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus conſiderantes vos, glorificent Deum, &c. 1. *Petri* 2.

De VII. Assumit falsum, quia Charitas est fructus spiritûs, non fidei, & similiter fides est fructus spiritûs. Paulus ait: Fructus autem spiritûs est Charitas, Gaudium, Pax, Patientia, &c. Fides, Modestia. *Galat. 5.*

Omnes tamen Lutherani coacti argumentis Fidelium incipiunt distinguere de Fide, veram, formatam Fidem appellant in vulgari nostro: Den liebreichen wohlthätigen Glauben. Id est, boni operatricem fidem, quæ dives sit in Charitate & operibus, aliam nominant historicam. Sicut Oecolampadius demegoria, ponit aliqua opera viva, aliqua mortua.

Objiciunt Lutherani contra secundam Propositionem.

1. Facti sumus ut immundi omnes nos, & quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ. *Esai. 64.*

2. Non est justus in terra, qui benefaciat & non peccet. *Eccles. 7.*

3. Non intres in judicium cum servo tuo Domine, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. *Psal* 120.

4. Quod

4. Quod nolo malum hoc facio, quod volo bonum non facio, &c. *Rom. 7.* Video autem aliam legem in membris meis repugnantem Legi mentis meæ, &c.

Respondent Catholici.

Hieronymus respondet Prophetam loqui de comparatione justitiæ Legalis & justitiæ Evangelicæ, nam legalis puritas ad Evangelium comparata est immunditia. *Augustinus ait:* Justitiam nostram comparatam ad Divinam justitiam, non esse justitiam: sicut ait Christus: Nemo bonus nisi solus Deus, quia nostra bonitas comparata ad Deum non est bonitas. *Lucæ* 18.

De II. In Hebræo est, peccabit, *sicut Septuaginta legunt*, sed hoc non satisfacit, quia & faciet, est futuri temporis. Secundam lectionem ergo Ecclesiæ. Non est qui faciat bonum, quin peccet: sed non semper tunc peccat, quando facit bonũ, sed in alio opere, *ut Hieronymus lib.* 1. *contra Iovin. & Augustinus de peccatorum remissione, Lib. II. Cap.* 20.

Porrò contextus non habet benefaciat,

at, quemadmodum Lutherani objiciunt: ſed, qui faciat bonum. Aliud ſiquidem eſt, bonum facere: aliud, bene facere.

De III. Reſpondet Auguſtinus, *de perfectione Iuſtitiæ*, adductam authoritatem exponens: Ne intres in judicium cum Servo tuo. Noli, *inquit*, me judicare ſecundùm te, qui es ſine peccato, quia non juſtificatur in conſpectu tuo omnis vivens, quod de hac vita dictum eſſe, ſine difficili quæſtione intelligitur. Et quod ait, Non juſtificabitur, ad illam perfectionem juſtitiæ retulit, quæ in hac vita non eſt. Hæc ille. Petit David judicari ſecundùm piam juſtitiam, judica me Domine. *Pſalm. 7. 25.* ſed non ſecundùm rigidam juſtitiam. *Auguſtin. Lib. IX. Confeſſionum, Cap. ultimo.*

De IV. Reſpondet Apoſt. ipſe capite ſeqv. *Rom. 8.* Nihil ergo, *inquit*, nunc damnationis (id eſt, peccati aut culpæ) eſt his, qui ſunt in Chriſto Jeſu, qui non ſecundúm carnem ambulant, Lex enim ſpiritus vitæ in Chriſto Jeſu liberavit me à Lege peccati & mortis. Poteſt *igitur*

in Christi fidelibus qui mente serviunt Legi Dei, concupiscentia carnis, repugnãte lege mentis nullum esse peccatum, quam tamen Apostolus peccatum vocat, quia peccato facta, & peccati pœna est. *2. Corint 5.* Sicut & Christus pro nobis peccatum factus est qui peccata nostra (id est, pœnas peccatis nostris debitas) ipse pertulit in corpore suo super lignum. *1. Petri 2.*

DE CONFIRMATIONE. VI.

Primum Axioma.

Confirmatio est Sacramentum.

BAptismum admittit Luther esse Sacramentum, sed Confirmationem negat.

Probatur ratione. At quia in Confirmatione est signum sensibile, habens infallibilem assistentiam gratiæ spiritûs sancti, ideò est Sacramentum.

Probatur Authoritatibus. Act. 8. Cùm audis-

audiſſent Apoſtoli, qui erant Hieroſolymis, quia recepiſſet Samaria verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum & Joannem, qui cùm veniſſent, oraverunt pro ipſis ut acciperent Spiritum ſanctum, nondum enim in quenquam illorum venerat, ſed baptizati tantum erant in nomine Domini Jeſu, tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctū. *De Epheſijs.* His auditis baptizati ſunt in nomine Domini Jeſu, & cùm impoſuiſſet illis manus Paulus, venit Spiritus ſanctus ſuper eos. Ecce poſt baptiſmum erat ſignum ſenſibile, ſcilicet, impoſitio manuum, quo conferebatur gratia Spiritûs ſancti, & ita erat Sacramentum.

Secundum Axioma.

Et quod ſoli Epiſcopi hodie confirmant, judicat textus hìc quòd Philippus Diaconus non confirmavit Samaritanos, ſed Apoſtoli, Petrus & Joannes. *De quo Actor: 8. & 19.* Et non eſt credibile aliquod donum gratiæ, ad electorum pertinens conſummationem, fuiſſe olim in

Ecclesia, quod jam desierit. *Dionysius Areopagita*, recenset illius mysteria capite quarto Ecclesiasticæ Hierarchiæ, & teleten ungventi dixit appellatam ab Apostolis.

Melchiades Papa Martyr. In Baptismo regeneramur ad vitam, post baptismum confirmamur ad pugnam: In baptismo abluimur, post baptismum roboramur.

Concilium Aurelianense, de Conse dis. 5. c. spi: sanct: Ut jejuni ad confirmationem perfectæ ætatis veniant, ut moneantur confessionem prius facere, ut mundi mereantur Spiritûs sancti donum accipere, & quia nunquam erit Christianus, nisi in Confirmatione Episcopali fuerit chrismate unctus. *Cum alÿs de Conse: dist: 5. contra Luciferianos.*

Hieronymus. Episcopus si imponit manum, his imponit, qui recta fide baptizati sunt, qui in Patre & Filio, & Spiritu sancto, tres Personas & unam Substantiam crediderunt, &c. *infra*: Quod si hoc loco quæras, quare in Ecclesia baptizatus, nisi

nisi per manus Episcopi, non accipiat Spiritum sanctum? Disce hanc observationem ex ea authoritate descendere, quod post ascensum Domini Spiritus sanctus ad Apostolos descendit, & multis in locis idem factitatum reperimus.

Christus quando imposuit manus parvulis, *Marci 10. Math. 11.* hoc Sacramentum vel insinuavit. *Vide Tomo quarto, Homilia 25.*

DE ORDINIS SACRAMENTO VI.

QUia negant Ordinem esse Sacramentum. Ex sacris literis doceatur Ordo, & quod cum signo sensibili conferat gratiam. *Math: 10.*

Ascendens Jesus in montem, vocavit ad se quos voluit ipse, & venerunt ad eum, & fecit ut essent 12. cum illo, & ut mitteret eos prædicare. *Marci 5. Luc. 6.*

Post hæc designavit Dominus & alios septuaginta duos, & misit illos binos ante faciem suam. *Lucæ 10.*

Accepto pane gratias egit & fregit, &

dedit eis,dicens : Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis tradetur , hoc facite in meam commemorationem. *Lucæ 22 1. Cor: 11.*

Dixit Jeſus Apoſtolis : Sicut me miſi Pater, & ego mitto vos . Hæc cùm dixiſſet inſufflavit,& dixit eis : Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis ; quorum retinueritis, retenta ſunt. *Ioan: 20.*

Vos autem Sacerdotes Domini vocabimini, Miniſtri Olei noſtri dicetur vobis, loqui de tempore Meſſiæ. *Eſai. 61.*

Dixit Spiritus Sanctus : Segregate mihi Saulum & Barnabam,in opus ad quo aſſumpſi eos. *Actor. 15.* Tunc jejunant &orantes, imponentésq; eis manus, d miſerunt illos.

Noli negligere gratiam quæ in te e quæ data eſt tibi per Prophætiam, cum impoſitione manuum Presbyterij in his exerce. *1. Tim. 4.*

Nemini cito manus impoſueris,nequ communicaveris peccatis alienis. *Ibidem*

Qui bene præſunt Presbyterii, dupli digni ſunt honore. *1. Tim. 5.* H

Hujus rei gratiâ reliqui te in Creta, ut constituas oppidatim Presbyteros. *Tit: 1.*

Qui hujusmodi sunt, eos in precio habete. *Phil. 2.*

Rogamus vos Fratres, ut agnoscatis eos, qui laborant inter vos, & qui præsunt vobis in Domino, & admonent vos, ut habeatis illos in sumo pretio. *1. Thes. 5.*

Pascite qui in vobis est gregem Dei, & *infra*: Et cùm apparuerit Princeps Pastorum, percipietis immarcessibilem æternæ gloriæ coronam. *1. Pet. 5.*

Attendite vobis & cuncto gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos ad regendum Ecclesiam Dei, quam acquisivit sangvine. *Actor. 20.*

Adverte hic quòd Diaconos mensarum & viduarum legimus ab Apostolis institutos. *Actor: 6.* Inter quos leguntur etiam prædicasse Stephanus & Philippus qui Samaritanos convertit. Diaconos autem Altaris qui ordinantur, ad orandum & prædicandum jungit Apostolus Paulus Episcopis, dicens: Omnibus Sanctis in Christo Jesu, qui sunt Philippis,

cum Epiſcopis & Diaconis *Phil.1.* Et ad Timothæum deſcripto Epiſcopo, deſcribit qualis debeat eſſe Diaconus. Habes hic in Apoſtolo manifeſtam diſcretionem inter Epiſcopos & Diaconos. Diſcretio igitur ordinum & miniſtrorum in Eccleſia ſolidum habet Fundamentum in Sacris Scripturis. *De quo vide in Tomo 4. Homilia 63.*

Patet duodecim fuiſſe Apoſtolos & ſeptuaginta duos Diſcipulos. *Lucæ 6.10.* illis Epiſcopi, iſtis Sacerdotes ſuccedunt. (*dicit Beda.*) Erant baptizati Apoſtoli, at non Sacerdotes, niſì cùm in Cœna fecit eos Sacerdotes, dans eis Poteſtatem conſecrandi Corpus Chriſti verum, & poſt reſurrectionem abſolvendi Corpus Chriſti myſticum. Et ſignum ſenſibile fuit in impoſitione manuum, & contulit gratiã. *Dionyſius de Eccleſiaſtica Hierarchia, cap.5.* Cur igitur à Luthero rejicitur à Sacramento? Et non eſſe cujuslibet è Plebe officium, patet per Prophetas.

Non mittebam Prophetas & ipſi currebant, non loquebar ad eos & ipſi propheta-

phetabant, si stetissent in Concilio meo, & nota fecissent verba mea Populo meo, avertissem utique eos à via mala, & à cogitationibus suis pessimis. *Hierem.* 23. Tales sunt Hæretici, qui si starent in Consilio Dei, Deus eos illuminaret.

De Phinees: Ecce do ei pacem fœderis mei & erit tam ipsi quàm semini ejus, pactum Sacerdotij sempiternũ. *Num* 25.

Pactum meum fuit cum Levi (dicit Dominus exercituum) Pactum meum fuit cum eo vitæ & pacis, & dedi ei timorem, &c. *Malac.* 2. Lex veritatis fuit in ore ejus, iniquitas non est inventa in labiis ejus, labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & Legem exquirent ex ore ejus, quia Angelus Dei exercituum est. Ecce Pactum Sacerdotale cum Levi, non cum alia Tribu.

Nec quisquam sumat sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, quemadmodum Aaron, *Heb.* 1. sed legitur, non quemlibet è Plebe vocatum ad Sacerdotium, Aaron *inquit*, & Filios ejus ungves, & sanctificabis eos ut sacerdotio fungantur mihi. *Exod.* 28.

Item legimus, *Num. 4.* jussisse Dominum, quòd quando movenda essent Castra, filii Caath portarent vasa sanctuarii involuta ab Aaron & filiis ejus, & non tangerent ea, nè moriantur. Hinc Dathan, Core, & Abiron, usurpantes sibi Sacerdotale Officium (sicut modo laici Lutherani) â terra absorpti sunt, descenderúntq; vivi in infernũ, & ducenti quinquaginta viri eis consentientes ab igne consumpti sunt. *Num. 16.*

Ita Oza, quoniam ultra suæ sortis conditionem manuum Archæ Dei nè caderet admovit, subita morte à Domino percussus est. *2. Reg. 6.* Item Osias Rex cùm Opus sacerdotale (adolere scil: incensum super Altare thimiamatis) præsumeret, increpatúsq; ab Azaria & reliquis Sacerdotibus Domini, non desisteret, lepra in fronte perfusus est, mansitque leprosus usque in diem mortis suæ. *1. Paral. 26.* Balthasar quoque Rex temulentus bibens ex vasis aureis & argenteis, quæ Nabuchodonosor Pater ejus asportaverat de Templo Dei quod est in Hierusalem,

salem, vidit manum scribentem in pariete: *Mane techel phares*, eadem nocte interfectus est, & Darius Medus successit in Regnum. *Dan. 5.*

Hinc Canonicis sanctionibus justissime ac sanctissime prohibitum est laicis manibus attrectare res sacras, puta Calicem, Corporale, Hostiam consecratam, & hujusmodi, *Distinctione 23.* Canone sacratas, & cætera. Non oportet in sacratas, & de Consecratione *Distinctione I.* Canone: In sancta Sede, & cætera vestimēta.

Non debent igitur hujusmodi sacra contingi aut offerri, nisi à sacratis hominibus, ne ultio quæ Balthasar Regem percussit, super hos transgredientes veniat. *Dan. 5.*

Dionysius S. Pauli Discipulus Capite 5. Cœlestis Hierarchiæ, prosequitur Ritum Apostolorum in consecrandis Episcopis, Presbyteris, & Diaconis.

Ignatius Discipulus S. Joannis ad Trallianos extollit dignitatem Episcoporum, Presbyterorum & Diaconorum. Hoc idem docuit per Epistolam Smyrnen. Et

ad Antiochenſes *inquit*, Saluto Sanctum Presbyterum veſtrum, ſaluto Sanctos Diaconos, ſaluto Subdiaconos, Lectores, Cantores, Hoſtiarios, laborantes Exorciſtas, atque Confeſſores.

Cyprianus libro I. Epiſtola tertia, ab initio meminit Acolythi.

Ecce tempore Apoſtolorum omnes fuiſſe Ordines.

Renarrat omnes Ordines Hieronymus in Epiſt: ad Ruſticum Epiſcopum Narbonenſem.

Objiciunt Hæretici.

1. Omnes Chriſtianos eſſe Sacerdotes, & unctos ex baptiſmate in Sacerdotes.

2. Vos eſtis genus electum, regale Sacerdotium. *1. Pet. 2.*

3. Dilexit nos & lavit nos à peccatis noſtris in ſangvine ſuo, & fecit nos regnum & Sacerdotes Deo & Patri ſuo. *Apocal. 1. & 6.*

4. In uno Spiritu omnes in unum Corpus baptizati ſumus. & omnes in uno Spiritu potati ſumus. *1. Cor. 12.* Sequitur nos omnes eſſe æqualiter Sacerdo-

dotes. Simile dicunt Chrysostomus & Ambrosius.

5. Obsecro vos Fratres per misericordiam Dei, ut exhibeatis Corpora vestra hostiam viventem, sanctam, DEO placentem, rationabile obsequium vestrum. *Roman.* 12. Hoc possunt etiam laici.

Respondent Catholici.

Ordinationes illas Lutheranas mille, solitas esse apud Hæreticos, docuit ante trecentos annos Tertullian⁹, faciunt enim ex Sacerdotibus laicos, & sacerdotalia munera laicis injungunt. Conatur Luther non alios facere Sacerdotes, quam Pharao & gentiles, & sicut Scriptura meminit de Hieroboam, 1. *Reg.* 12. qui ex novissimis de Plebe instituit Sacerdotes: & prohibuit Populum ne ascenderet Hierosolymam, sicut Luther ne ascendat ad Romam.

De 1. Liquet omnes Fideles esse Sacerdotes sicut sunt Reges hoc est spiritualiter, quia Deus regnat in eis per liberam Charitatem, & ipsi per unctionem sancti Spiritûs regunt vires animæ & sen-

ſus ſuos, ac præter iſtos Reges, etiam mē-dicos, ſunt in Eccleſia Reges & Præſides externi. Sic omnes Fideles, quia offerunt Deo Fidem & Orationes, &c. Sunt Sacerdotes ſpirituales, & illud Sacerdotium non eget Ceremoniis: ſed præter hoc Sacerdotium internum, eſt unum externum in Eccleſia certis perſonis affixū. Sume exemplum, quilibet Fidelis eſt Templum Dei, Templum Dei ſanctum eſtis vos, ait Paulus, *1. Cor:3.* ſed præter iſta Templa, eſt Templum externum certo loco affixum, in quo loco Fideles congregantur.

De II. Es obduratus, more Hæreticorum, jam facies omnes etiam Judæos eſſe Sacerdotes, eò quod dicatur Judæis: Si audieritis vocem meam, & cuſtodieritis Pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis Populis, & in regnū ſacerdotale, & gens ſancta, *Exod. 19.* Hæc ad univerſum Iſraël dicta ſunt: ſed Reges fuerunt & Sacerdotes, modo præfato.

Unde Beatus Auguſtinus exponens illud *Apocal. 20.* Sed erunt Sacerdotes Dei & Chri-

& Chriſti, & regnabunt cum eo mille annis, ait. *Libro 20. de Civitate Dei, cap.* 10. Non utique de ſolis Epiſcopis & Presbyteris dictum eſt, qui propriè jam in Eccleſia vocantur Sacerdotes, ſed ſicut omnes Chriſtianos dicimus, propter myſticum Chriſma, ſic omnes Sacerdotes quoniam membra ſunt unius Sacerdotis: De quibus Apoſtolus Petrus: Plebs, *inquit*, ſancta, regale Sacerdotium, &c. 1. *Pet*: 2. Et Hieronymus contra Luciferianos, qui receperunt Laicum peccatorem qui erraſſe ſe confitebatur, non autem Epiſcopum in depoſito Sacerdotio.

Habes itaque maximum inter Sacerdotem & ſacerdotium, laicum & Hierarchicum, diſcrimen. Peccant igitur Lutherani, decepti per Æquivocationis ſophiſma, non intelligentes quomodo in Scripturis ſacris, Sacerdotis & ſacerdotii nomen, variè his qui ad id muneris, è populo aſſumpti ſunt, ut orent & ſacrificent pro ſuis & Populi peccatis, & aliis quibus hi præſunt pro quibus ſacrificant & orant adſcribitur. *Hebr.* 5.

De tertio similiter dicatur.

De IV. Torquent hunc locum Hæretici, nam etiam si omnes sumus unum Corpus in Christo, quomodo tam stupide infert, ergo omnes sumus manus, aut omnes sumus pedes, cum etiam in ipsis membris sit differentia? quare cum unitate corporis stat membrorũ differentia.

De V. Fatemur omnes Christianos etiam laicos posse offerre Oblationes spirituales, & ita posse esse Sacerdotes mysticos, erigentes in se Altare affectus in Deum, sed non est consectarium, propterea eos esse Sacerdotes externos, hierarchicos.

DE CONFESSIONE VIII.

CONfessionem esse necessariam pro Sacramento pœnitentiæ, ipsámque Jure Divino præceptam.

Christus dixit Petro: Tibi dabo claves Regni Cœlorum, & quodcunque ligaveris super terram erit ligatum & in cœlis: & quodcunq; solveris super terram, erit solutum & in cœlis. *Matth 10.* Hæ autem Claves sunt duæ, scientiæ scilicet & pote-

potestatis. Clavis scientiæ, est facultas discernendi inter læpram & læpram. Item inter læpram & non læpram, id est, inter peccatum & peccatum, & inter peccatum & non peccatum. Clavis verò potestatis, est facultas solvendi & ligandi. Nam post caussæ cognitionem in foro judicij pœnitentialis inter Confessorem & confitentem, quod fit per clavem scientiæ, restat sententiam in negotio ferre, quod est solvere vel ligare, & hoc fit per Clavem potestatis. Negare igitur Confessionē esse præceptā à Christo, est negare potestatem clavium traditam à Christo, quod est manifestè contra Christi Evangelium. *Ioann.20* Quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in Cœlo. Insufflavit in eos dicens: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.

Gemina est potestas absolvendi & remittendi, qua itaque uti deberet, nesci-

ret

ret Sacerdos, nisi detegeret ei crimina.
Ideo præmisit, accipite Spiritum sanctum, ac si dixisset directione Spiritûs sancti confitenti peccata solvatis, aut retineatis.

Confitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro invicem, ut salvemini. *Iaco.3.* Hic Jacobus ut Dei preco, annuntiavit hominibus præceptum Dei de confitendis peccatis & intelligitur cum præcisione. *Hugo de S. Victore, lib.2. de Sacramentis.*

Habetur insuper præfigurata Confessio, & facta Apostolis. Homines baptizabantur à Joanne in Jordane, confitentes peccata sua. *Matth.3.*

Multi credentium veniebant, confitentes & annuntiantes actus suos. *Act.19.*

De propitiato peccato noli esse sine metu, neque adjicias peccatum super peccatum. *Eccli.5.*

Et quod hæc planè accipiantur de Confessione liquet, quia praxis Ecclesiæ, optime interpretatur Scripturas.

Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & justus, ut remittat nobis peccata

no-

nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. *1. Ioann. 1.*

Qui abscondit scelera sua, non dirigetur, qui autem ea confessus fuerit, misericordiam consequetur. *Prov. 18.*

Dionysius in Epist. ad Demophilum. increpat eum, quòd peccatorem procidentem Sacerdoti, contra disciplinæ ordinem astans abejecerit, cùm ille verecunde fateretur se ad peccatorum remedia quærenda venisse.

Origenes super Psal. 37. Tantummodo circunspice diligentiùs, cui debes confiteri peccatum tuum, proba priùs medicum, cui debeas caussam langvoris exponere, qui sciat infirmari cum infirmante, &c. ut ita demum si quid ille dixerit, si quid consilij dederit, facias & sequaris. Si præviderit talem esse langvorem tuum, qui in Conventu totius Ecclesiæ exponi debeat & curari, ex quo fortassis & cæteri ædificari poterunt, & tu ipse facilè sanari, multa hoc deliberatione, & satis perito medici illius Consilio procurandum est. Hæc omnia auricularem probant Confessionem. *Basi-*

Basilius de Institutione Monachorum. Necessarium videtur ijs quibus dispensatio mysteriorum committitur, confitenda esse peccata.

D. Hieronymus adversus Montanum Hæreticum scribens, testatur hanc Montanorum impiam fuisse hæresim, ut erubescant coram Sacerdote confiteri peccata admissa. *Idem Hierony. cap 10. super Ecclesiasticum, inquit*: Si cui serpens Diabolus genuinum dentem (ùt Proverbio fertur) infixerit, & nullo conscio, hominem malo peccati veneno infecerit, si ille silentio præterierit, qui mortali vulnere à serpente venefico ictus & non egerit pœnitentiam, nec vulnus suum fratri & magistro voluerit confiteri. Magister qui lingvam habet ad curandum, facilè ei prodesse non poterit. Si enim erubescat ægrotus vulnus medico confiteri, quod ignorat, medicina non curat.

Cyrillus super Levit: scribens, septem gradus Remissionum, inter reliqua verba sic ait: Est adhuc in septima licet dura & laboriosa per pœnitentiam remissio peccatorum.

rum. Cùm lavat peccator lachrymis ſtratum ſuum, & fiunt ei lachrymæ ſuæ Panes die ac nocte, *Pſal.41.* cùm non erubeſcit Sacerdoti Domini indicare peccatum & quærere medicinam, ſecundùm eum, qui ait: Dixi, pronuntiabo adverſùm me injuſtitiam meam, & tu remiſiſti impietatem peccati mei. *Pſal.31.* In quo impletur illud quod Jacobus Apoſtolus ait: Si quis infirmetur in vobis, vocet Presbyteros Eccleſiæ, &c. *Iac.5.*

In hujus rei figuram Chriſtus leproſo mundato dixit: *Matth.8.* Vade oſtende te Sacerdoti, & offer munus quod præcepit Moyſes: ſimile præcepit decem leproſis, *Lucæ 17.* Lazaro ſuſcitato dixit, *Ioan.11.* Solvite eum, & ſinite abire. *Vide lib. 2. de Pœnitent.*

Objiciunt Hæretici.

1. *Ioann. 20.* Nihil præcipitur de Confeſſione, ſed ſolùm Sacerdotibus, ut abſolvant.

2. *Iacobi 5.* Loquitur de Confeſſione fraterna, nam non dicit confitemini Sacerdoti, ſed alterutrum.

3. Adul-

3. Adulteræ non dixit, Vade & cõfitere sacerdoti: sed vade noli ampliùs peccare. *Ioan. 8.* Ita de Magdalena.

4. *Ambrosius inquit*: Petri lachrymas lego, Confessionem non lego. *Luc. 7.*

5. In tripartita Historia traditur abrogatam Confessionem sub Nectario Constantinopolitano.

Respondent Catholici.

De I. Cum Ioan. 20. Maxima illa potestas noscatur Sacerdotibus tradita, magisterio Spiritûs sancti didicit Ecclesia usum illius potestatis ab ipsis Apostolis. *Et ut Bern. inquit*: Sufficiebat ostendere infirmo medicum, qui si vult sanus fieri, inquiret eum.

De II. Verum est Sanctum Jacobum non cum præcisione determinasse, cui sit confitendum, quia jam Christus expresserat absolventes peccatores, ideò sufficiebat Jacobo exprimere illud quod erat necessarium ad absolutionem, scilicet Confessionem, non speciatim indicans judicem.

De III. Nondum erat potestas illa absol-

ſolvendi in Eccleſia, ideò cùm Confeſſio non eſſet inſtituta, Adultera & Magdalena, ad Confeſſionem non tenebantur. Porrò ea quæ fiebant ſpeciali Privilegio, non ſunt trahenda in conſequentiam per communem theoricam.

De IV. Similiter reſpondetur, licet argumentum non legitur, etiam à pueris rideatur.

Loquitur de Confeſſione pœnitentiæ ſolennis, non privata peccatorum Confeſſione. *Vide latiùs de Confeſſione librum noſtrum.*

DE SATISFACTIONE IX.

Primum Axioma.

DImiſſa culpa per contritionem & abſolutionem, pœnitens ſatisfacere debet pro pœna. Adam proculdubio pœnituit poſt culpam, neq; tamen ilico à pæna ſibi à Deo comminata. In quacunque die comederis ex eo, morte morieris : ſolutus eſt. *Geneſ. 2.* Imò poſt transgreſſum Divinum præceptum, ultra comminatam mortis pœnam alias ſuper-

addi-

addidit Deus, dicens Adæ: *Genes 3.* Quia audisti vocem Uxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi, nè comederes; Maledicta terra in opere tuo. In laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ. In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram de qua assumptus es, quia pulvis es & in pulverem reverteris. Mulieri quoq; dixit: Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos. In dolore paries Filios, & sub viri potestate eris, &c. Et sicut omnes peccavimus in Adam: *Roman: 3.* Ita omnes moriemur in ipso, remissa etiam in baptismo, originalis peccati culpa, pro qua mors & aliæ pœnalitates sunt inflictæ.

David post commissum adulterium & homicidium pœnitens dixit ad Nathan, Peccavi Domino. *2. Reg 12.* Dixitq; Nathan ad illum: Dominus quoque transtulit peccatum tuum. Transfertur autem peccatum, non quoad culpam, sed ad pœnam. Quod fusius explicant Gregori-

gorius & Augustinus, *de pœnitentia Distinctione I. Capite*, Si peccatum David, *& cap.* Sicut primi Parentes.

Sunt & alia multa exempla, quæ idem indicant & probant: *Num 12.* Maria soror Moysi post dimissam in Moysen murmuris culpam læpra percussa est, nec ilico orante Moyse Dominum pro ea ut sanaretur, mundata est, sed septem diebus jubente Domino in pœnam peccati, extra Castra separata, læprosa permansit.

Num. 20. DEus prædixit Moysen & Aaron non ingressuros neque introducturos Populum Israëliticum in terram promissionis, propter peccatum incredulitatis apud aquam contradictionis, dimisso proculdubio, his sanctis Viris, hoc peccato *Gen. 42.* Fratres Joseph fatebantur se justè pati pro flagitio in germanum perpetrato dicentes inter se: Meritò hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum, &c.

1. Reg. 2.4. Heli quia filiorum facinora minus quam debuit, corripuit, cadens de sella retrorsum, fractis cervicibus, mortu-

mortuus eſt. *2. Reg. ult.* Indultum Davidi per miſericordiam Dei (quam implorabat) piaculum numerati Populi, ſæviſſima peſtis comitata eſt, & eo pœnitente, juſſus à Propheta Gad ſatisfacere, erexit Altare & obtulit pro 50. ſiclis. *1. Paralip. 21.*

Ninivitæ jejunaverunt, induerunt ſe ſacco, &c. *Ionæ 3.*

Achab jejunavit, operuit ſe Cilicio, dormivit in ſacco, ambulavit demiſſo capite, & placavit Dominum.

Si egerit gens illa pœnitentiam à malo ſuo, & ego agam pœnitentiam ſuper malo quid cogitavi ut facerem ei. *Hiere. 18.*

Pro menſura peccati, erit & plagarum modus. *Deut. 25.*

Quantum glorificavit ſe, & in delitijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum. *Apocal. 18.*

De propitiato peccato noli eſſe ſine metu, & nè dicas: Miſeratio Domini magna eſt, multitudinis peccatorum meorum miſerebitur. *Eccli. 5.*

Chriſtus ſanato paralytico, 38. annor in in-

in infirmitate habenti dixit: Ecce ſanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. *Ioan:5.* Manifeſte innuens hanc in tot annos perſeverantem infirmitatem, non niſi in pœnam peccati longè ante (id quod haud quaquam incredibile eſt) per patientiam infirmi & Dei miſericordiam deleti inflictam. *Vide Tomo 4. Homilia 49. & libro 3. de Pœnitentia.*

Secundum Axioma.

Opera ſatisfactoria, puta oratio, jejunium, eleemoſyna quæ confitenti injunguntur, ad pœnitentiæ ſacramentum pertinent.

In Levitico jubet Dominus offerri diverſas Hoſtias pro diverſis ſacerdotis, principis & populi peccatis. *Levit:4.5.&6*

Convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio & fletu. *Iohel 2.* Daniel conſuluit Nabochodonoſori, dicens: Peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordijs pauperū. *Dan.4.*

Ninivitæ pœnitentes ad Jonæ prædi-

cationem, induti ſaccis jejunaverunt unà cum jumentis, orantésq; clamaverunt ad Dominum. Viditque Deus opera eorum, & miſertus eſt eis. *Ionæ 3.* Hos collaudans Servator noſter Chriſtus, præfert Judæis impœnitentibus, dicens: Viri Ninivitæ ſurgent in Judicio cum generatione iſta. *Lucæ 11.* ſcilicet obſtinatorum non ſatisfacientium pro delictis ſuis, & condemnabunt eam, quia egerunt pœnitentiam ad prædicationem Jonæ.

Joannes Baptiſta hortabatur Populum dicens: Facite fructus dignos pœnitentiæ. *Matt: 3. Lucæ 3.*

Chriſtus exprobrabat Civitatibus in quibus factæ ſunt plurimæ virtutes, quia non egiſſent pœnitentiam: Væ tibi Corozaim, Væ tibi Bethſaida, quia ſi in Tiro & Sidone factæ eſſent virtutes quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent. *Matt: 11.*

Lucæ 13. Niſi pœnitentiam habueritis omnes ſimiliter peribitis, ſicut illi decem & octo, ſupra quos cecidit turris in Siloë & occidit eos, *2. Cor: 6.* In omnibus exhibea-

hibeamus nos ſicut Dei miniſtros in jejunijs multis, &c. Itaque liquet ſatisfactionem vere pœnitenti, perneceſſariam eſſe.

Objicit Lutherus.

I. Joan: Baptiſta, miſſus prædicare pœnitentiam docuit ſolum obſervantiam Præceptorum Dei, dicens: *Lucæ 3.* Nihil amplius quam quod conſtitutum eſt vobis faciatis, nulla de ſatisfactione mentione habita.

II. Dominus dicit per Ezech. Si converſus fuerit impius ab impietate ſua, & fecerit judicium & juſtitiam, vita vivet & non morietur. *Ezech: 18.* Ecce nihil imponit niſi judicium & juſtitiam, &c.

III. Micheas dicit: Indicabo tibi ô homo, quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te. Utique facere judicium, & diligere miſericordiam, & ambulare ſolicitum cum Deo tuo, &c. *Mich. 6.*

Idem. Et corroborat, quia Propheta ibidem irridet eos, *inquit*, qui per opera ſatisfacere volunt, dicens: Quid dignum offeram Domino, nunquid ei offeram

holocaustomata, & vitulos anniculos? Nunquid placari potest in milibus arietum, aut in multis milibus hircorum, &c. quasi diceret, non.

IV. Christus per Passionem suam & mortem satisfecit pro peccatis nostris. At Passio Christi sufficiens erat non solum pro peccatis amovendis, sed etiam pœnis delendis. Langvores enim nostros ipse tulit, *ait Propheta*, & dolores nostros ipse portavit, *Esai.54.* ergo, &c.

Respondent Catholici.

De I. Negamus primò Joannem non docuisse satisfactionem. Indixit quippe eleemosynam quæ ad satisfactionem pertinet, dicens: Qui habet duas tunicas det non habenti: & qui escas habet similiter faciat. Imò baptizati à Joanne confitebantur peccata sua, ut secundùm qualitatem peccatorum, eis pœnitentia determinaretur. Unde docuit dignos facere fructus pœnitentiæ, qui fructus, utique per opera satisfactoria. Mentitur igitur Lutherus Joannem non nisi præceptorum observantiam imposuisse.

Ad

Ad hæc dicimus quod Joannes prædicavit non absolute pœnitentiam, sed baptismum pœnitentiæ, non suum, sed Christi in remissionem peccatorum. Ideò non debebat à se baptizatis & postmodum Christi baptismate (in quo simul remittitur & culpa & pœna) baptizandis, expressiorem de satisfactione facere mentionem.

De II. In verbis Prophetæ nihil aliud pollicetur quàm vita gratiæ, ad quam assequendam & si non præexigatur satisfactio in re, præexigitur tamen in voto & proposito, & necessariò sequitur ad assequutam gratiæ vitam conservandam.

Porrò si hoc Prophe.. verbo non exprimeretur satisfactio, tamen sequitur, ergo satisfactio non est, aut Propheta fefellit nos. Quandoquidem quod uno loco in Scripturis non exprimitur, alibi abunde depromitur. Sicut hoc loco solam justitiam exprimit, nihil de fortitudine, temperantia, aut castimonia loquens, quæ tamen alijs in locis ponuntur ac præcipiuntur.

De III. Micheas in his verbis non ſecludit quin potius includit opera ſatisfactoria. Nempè per judicium intelligitur ſevera ſui ipſius condemnatio, per diligere miſericordiam, eleemoſynæ ac pietatis opera ex charitate in pauperes exercenda, & perambulare ſolicitum cum DEO, præceptorum Divinorum obſervantia. Concordat Auguſtinus dicens: *De pœnitentiæ medicina, cap. 2.* In hac Pœnitentia, majorem in ſe quisq; ſeveritatem debet exercere, ut à ſeipſo judicatus, non judicetur à Domino, ipſe Apoſtolus ait. *1. Cor: 11.*

Neque Micheas irridet eos qui DEO per bona opera ſatisfacere volunt, ſed vult, quod ſacrificia & holocauſtomata animalium non ſufficiebant, nec valebant ad deletionem peccatorum *Hebr. 11.* Impoſſibile enim erat ſangvine hircorum & vitulorum auferri peccata. *Eſai. 1.* Et quòd in ſeipſis grata non erant neque accepta Deo.

De IV. Paſſio Chriſti quæ ſufficiens eſt, ad tollendum omnem reatum pœnæ, non

non ſolum æternæ ſed etiam temporalis & ſecundum modum quo homo participat virtutem paſſionis Chriſti, percipit etiam abſolutionem à reatu pœnæ. *Di: 3. per. q. 85. art. 43.*

In pœnitentia enim homo conſequitur virtutem paſſionis Chriſti ſecundum modum proprium actuum qui ſunt materia pœnitentiæ.

Unde Apoſtolus hortatur pœnitentes dicens: *Rom: 6.* Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ in ſanctificationem. *Vide Tomo 4. Homil. 51.*

Etſi objiciatur Auguſt: dicit *Lib. de Pœnitentia: di: 8. cap. Sunt plu:* Nunquam Dominus aliquem ſanavit, quem non omnino liberavit, totum enim hominem ſanavit in Sabbato, quia & corpus ab infirmitate, & animam ab omni contagione, ergo videtur quod remiſſa culpa ſimul etiam remittatur omnis pœna.

Lucæ 4. Dicendum, quòd Deus totum hominem perfecte curat, ſed quan-

doq; ſubito, ſicut ſocrum Petri ſtatim reſtituit perfectæ ſanitati. Quandoq; autem ſucceſſive, ſicut cæcus illuminatus â Domino, primo reſtitutus eſt ad imperfectum viſum, unde ait: *Marci 8.* Video homines velut arbores ambulantes, deinde reſtitutus eſt perfecte, ita ut videret clare omnia. Et ita etiam ſpiritualiter quandoque tanta commotione convertit cor hominis ut ſubito perfecte conſequatur ſanitatem ſpiritualem, ut Magdalena. *Luca 7.* Quando autem prius remittit culpam per gratiam operantem, & poſtea per gratiam cooperantem, ſucceſſive tollit reatum pœnæ, & alias peccatorum reliquias. Non habetur igitur ex facto Chriſti, quòd remiſſa culpa, ſimul remittatur omnis pœna, ſed magis contrarium, &c.

De Evchariſtiâ ſub utraque Specie.

X.

Sufficere Laicis alteram ſpeciem oſtenditur.

Hic

HIc est panis qui de Cœlo descendit, ut si quis manducaverit ex eo non moriatur. Panis verus est, qui de Cœlo descendit, & dat vitam mundo. Ego sum Panis vivus, qui de Cœlo descendit. Et Panis quem ego dabo, Caro mea est, pro mnndi vita. *Ioan. 6.* Ecce solius panis meminit.

Luca 24. Euntibus Discipulis duobus in Emaus, sub sola specie Panis dedit eis Christus Saeramentum, secundùm Augustinum, *libro 3. de consensu Evangelistarum*, & *Chrysostomum super Matthæum.*

Matth. 6. Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie, oramus quotidie.

Erant perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis Panis, & Orationibus. *Actor. 2.*

Pascha nostrum immolatus est Christus, itaq; epulemur in azimis syncaeritatis & veritatis. *1. Cor. 5.*

Patet quod ubique solum fit mentio Panis, nulla vini. Ambrosius, Hieronym: Eusebius, Benedictus, morituri communica-

nicaverunt solum sub specie Panis & feria sexta sancta, Sacerdotes comunicant solum sub specie Panis, in cujus figuram Dominus prædixit de posteris Heli 1. *Reg.* 2. ut quicunque venerit ad Sacerdotem, ei dicat, dimitte me obsecro ad unam partem Sacerdotalem ut comedam bucellam Panis.

1. *Cor*: 10. Unus Panis, & unum Corpus, multi sumus, omnes qui ex eodem Pane participamus. Et ita constituit sacra Constantiensis Synodus. Ambrosius loquens de communicatione laicorum libro de Sacramentis, non meminit nisi Panis. Ignatius in Epistola ad Ephesios inquit: Obedientes Episcopo, & Presbytero impræuaricabili sensu, frangentes Panem, qui est medicamentum immortalitatis, antidotum non moriendi, sed vivendi. Ecce non meminit vini.

Gregorius libro III. Dialogo refert de Sancto Agapeto, quomodo mutum & claudum porrectione Dominici corporis sanavit, nulla habita vini mentione.

Concilium Remense *De Cons, dis. 2. cap.*

Per

Per cap. pres. prohibet, ne laici portent Sacramentum corporis ad infirmos: nulla fit mentio specierum vini.

Sic præcipitur de Eucharistia panis ut Sacerdos semper habeat paratam: de vino nihil præcipitur. *Et est Concilij Guarmatiensis.*

In Concilio Sardicensi. *Osius Episco: Cor. Ca. 2. de electi. lib. dist. 1. Si Episco.* prohibet quibusdam temerarijs, ut ne laicam communionem percipiant, nisi pœniteant in fine, & quæ est laica communio, nisi Eucharistiæ sub specie panis sumptio?

Simile constituitur in Concilio Agatensi, de Sacerdote criminoso, qui trusus in Monasterium, Laicam tantum sumat communionem. *Vide Tomo 4. Homil: 34.*

Objiciunt Hæretici.

I. Christus instituit sub utraque specie, & comunicavit Apostolos sub utraq; specie, & mandatum dedit omnibus, dicens: Bibite ex hoc omnes.

II. In primitiva Ecclesia communicabant

bant sub utraque specie, sicut probatur per Cyprianum *Tractatu de lapsis*, ubi Diaconus Sacramentum Calicis puellæ infudit.

III. Nisi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis ejus sangvinem non habebitis vitam in vobis.

IV. Sacramentum totum debet dari laicis, alioquin qua ratione privati sunt jam Laici calice, eadem ratione Ecclesia posset eos ab Eucharistia coërcere.

V. Omnes fatentur Sacerdotem sub pœna peccati debere communicare sub utraque specie, & cur non peccant laici id obmittentes?

Respondent Catholici.

De I. Concedimus Christum consecrantem instituisse Sacramentū sub utraq; specie, & dedisse Apostolis sub utraque specie, qui jam erant Sacerdotes. Ideò hodie Sacerdos celebrans sumit sub utraque specie, sed quid hæc ad Laicos? Et bibite omnes, est dictum Apostolis & Sacerdotibus, qui hoc faciunt, id est, consecrant

secrant in Christi comemorationem, nam alij non interfuerant nisi Apostoli, ut ex Evangelio liquet, idem Marcus ait: Et biberunt ex eo omnes. *Marci 14.* quod de laicis falsum esset.

De II. Fatemur hunc usum fuisse in primitiva Ecclesia, nec tamen universalis fuit usus, ut patet ex Actis 2. capite, at ab Ecclesia mutatum.

Primo, quia pensata multitudine populi, ubi sunt senes, juvenes, debiles, si non adhiberent debitam cautionem, fieret injuria Sacramento, per effusionem liquidi.

Secundo, in tanta multitudine, quo vase commode contineretur Sacramentum vini, & sine effussione promeretur.

Tertio, non facile Sacramentum vini conservari posse pro infirmis, quia acessit, putrescit, movens nauseam vel vomitum sumentibus.

Quarto, sine periculo effusionis non facile posset deferri de loco in locum pro infirmis.

Quinto, contingeret alioqnin, Sacramento

mento digniſſimo, ſummam fieri irreverentiam.

Sexto, Rem miraculis teſtatam refert Alexander de Hales, quòd cùm Religioſi inſtarent pro ſumptione ſub utráq; ſpecie, dum Sacerdos eſſet in actione Sacramenti, apparuit Patina plena ſangvine, quod videntes Religioſi obſtupuerunt, quo ſigno petitio eorum ceſſavit. Porrò credendum eſt à primitiva Eccleſia incœpiſſe laicos communicare ſub altera ſpecie,& quod ſit unum, quod veniat ex traditione Apoſtolorum, quia initium hujus monſtrare nemo poteſt.

De III. Quia manducatio Sacramentalis exigit ſpiritalem, Verba quæ ego loqvutus ſum, ſpiritus & vita ſunt, *Ioan.6.* unde ſub qualibet ſpecie eſt totus Ghriſtus, corpore & ſangvine. Ideò Laicus ſub ſpecie panis, bibit ſangvinem, ſed non ſub ſpecie propria,ſed ſub ſpecie panis. Porrò Chriſtus ſolum agit de incorporatione noſtra in ipſum, quod communio corporis ſatis indicat, ideò ad hoc Sacramentum,hic oculus non eſt habendus.

De

De IV. Quòd ex causa Ecclesia non dat alteram speciem, potuit Ecclesia, quia non minus est sub una specie, quam duabus, & tantum fructum percipit de una specie sicut de alia: at Ecclesia fideles non debet spoliare fructu Sacramenti ex integro.

De V. Consecrans utrámq; speciem consecrat, quia agitur repræsentatio Dominicæ Passionis, ideò corpus & sangvis simul sub utráque specie consecrantur, & Sacerdos in persona totius Populi offert & sumit sub utráque specie, in cujus persona totus Populus quadam spiritali sumptione sangvinem Christi bibere gaudenter debet credere.

DE MATRIMONIO XI.

Matrimonium esse Sacramentum ostenditur.

MUlieres viris suis subditæ sint, sicut Domino: quoniam vir est caput mulieris, sicut Christus est caput Ecclesiæ, ipse Salvator corporis sui,

In-

Infra: Propter hoc relinquet homo Patrem & Matrem suam, & adhærebit Uxori suæ, & erunt duo in carne una, Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & Ecclesia. *Ephes.* 5. Hic apertè pronunciat Sacramentum, quia conjunctionem Viri & Uxoris: & ostendit, cujus rei sacræ sit signum, quia Christi & Ecclesiæ. Et ne credas solum per similitudinem adductum, ostendit verum esse Sacramentum, à primo Propheta pronunciatum: sic intelligit Hierony:

Honorabile Connubium in omnibus, thorus immaculatus. *Hebr.* 13. Macula non careret thorus, si non esset gratia Sacramenti.

Quos Deus conjunxit homo non separet. *Matth*: 19. Conjunctio divina non est sine gratia.

Propter fornicationem vitandam, unusquisque habeat uxorem suam. 1. *Cor.* 7.

Domus & divitiæ dantur à Parentibus: à Domino autem propriè Uxor prudens. *Prov.* 19.

Unusquisque vestrum sciat possidere

vas ſuum in ſanctificatione & honore. *1. Theſ. 4.* Sanctificatio non eſt ſine gratia.

Salvabitur autem per filiorum generationem, ſi manſerit in fide & dilectione. *1. Timoth. 3. Cap:* Sine gratia generare filios eſſet plus damnatio, quam ſalvatio.

Si quis frater Uxorem habet infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et ſi qua Mulier fidelis virum habet infidelem, & hic conſentit habitare cum illa, non dimittat illum, ſanctificatus eſt enim Vir infidelis per mulierem fidelem, alioquin filij veſtri immundi eſſent. nunc autem ſancti ſunt per Sacramentum. *1. Cor. 7.*

Probabile eſt benedictionẽ quam dedit Deus Adæ & Evæ non fuiſſe ſine gratia. *Geneſ. 2.*

Auguſtinus. Non tantum fœcunditas, cujus fructus in Prole eſt, nec tantum pudicitia, cujus vinculum eſt Fides, verum etiam ſacramentum nuptiarum, comendatur fidelibus.

Obji-

Objiciunt Hæretici.

I. *Ad Ephes. 5.* Ubi Apostolus dicit Matrimonium Sacramentum, in Græco legitur Mysterium.

II. Nec dicit absolute Matrimonium esse Sacramentum magnum, sed in Christo & Ecclesia.

Respondet Christianus.

De I. Fatemur Matrimonium esse Mysterium, sed qua temeritate infert. Itaque non est Sacramentum, cum omnia Sacramenta sint Mysteria, & Græci appellant Sacramenta in communi, Mysteria.

De II. Matrimonium est magnum Sacramentum in Christo & Ecclesia, at per hoc non poterit probare Hæreticus, ut sic minus sit Sacramentum, nam hic explicat Apostolus, quomodo sit rei sacræ signum, non solùm gratiæ, sed etiam unionis Christi & Ecclesiæ.

DE EXTREMA UNCTIONE XIV.

Unctio extrema Sacramentum est in Ecclesia Dei, à S. Jacobo promulgatum.

INfirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum Oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, remittentur ei. *Iac. 5.*

Apoſtoli ungebant Oleo multos ægros, & ſanabantur. *Marci 6.*

Hic eſt materia, ſcilicet unctio Olei, ſeu Olivæ, quod propriæ Oleum dicitur. Alij enim liquores ex ſimilitudine ad ipſum, Olei nomen accipiunt: Forma, quia cum oratione, & effectus ſcilicet remiſſio peccatorum. Eſt ergo Sacramentum, quia ſignum ſenſibile, ſacræ rei ſignum. Nam ad quid aliud fieret Unctio? *Dionyſius determinat eam cap. 7. de Eccleſiaſtica Hierarchia, & Hugo de S. Victore.*

Au-

Augustinus lib. 2. de visitatione Infirmorum, docet infirmum debere cõfiteri, communicare & unctionem sumere, ait enim: *Nec prætermittendum est illud Apostoli Iacobi præceptum:* Infirmatur quis in vobis, &c. Ergo roges de te & pro te fieri sicut dixit Apostolus Jacobus, imò per Apostolum suum Dominus. Ipsa videlicet Olei sacrati delibutio, intelligitur Spitûs sancti typica unctio.

Augustinus de rectitudine Catholicæ Conversationis dicit: Qui ægrotat in sola Dei misericordia confidat, & Eucharistiam cum fide & devotione accipiat, Oleúmq; benedictum fideliter ab Ecclesia petat, unde corpus suum ungatur.

Objicitur Hæreticus.

I. Apostolus non potest Sacramentum instituere.

II. Porrò dubitatur de authoritate illius Epistolæ.

Respondet Catholicus.

De I. Non videtur absonum Apostolum

lum authoritate Chriſti, & juſſu Spiritûs ſancti inſtituere Sacramentum. At ſi etiam Chriſtus illud inſtituit, tamen Jacobus promulgavit.

De II. Et ſi aliquando dubitatum fuerit de illa Epiſtola, an ab alio fuerit perſcripta quàm Jacobo, tamen canonicam obtinuit Authoritatem, *Hieronymo teſte*, & prima ponitur in Canonicis ante Petri, Joannis & Judæ Epiſtolas. Quod ſi Eccleſiam non audis hanc Epiſtolam approbantem, jam omnia erunt incerta, quia hujuſmodi temerarius, etiam negaret Epiſtolas Pauli. *Vide Tomo 4. Homil. 52.*

DE HUMANIS CONSTITUTIONIBUS XIII.

Humana conſtitutio Conciliorum & Pontificum ſervanda.

QUi vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit: qui autem me ſpernit, ſpernit eum qui me miſit. *Luc.* 10. Ecce quod Chriſtum & Evangelium

lium spernit, qui Ecclesiæ Prælatos & Ecclesiasticas Constitutiones contemnit. Scitis quæ præcepta dederim vobis per Dominum Jesum Christum. *1. Thesal. 4.* Et post: Itaque qui hæc spernit non hominem spernit, sed Deum, qui etiam dedit Spiritum sanctum in nobis. Moyses contra se & Aaron murmuranti Populo dixit: Audivi murmur vestrum contra Dominum. *Exod. 16.* Et infra: Nos enim quid sumus? nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum. Qui novit Deum audit nos, qui non est ex Deo, non audit nos. *1. Ioan. 4.* Per hoc cognoscimus spiritum veritatis & erroris.

Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. *Roman. 13.* Non enim est potestas nisi à Deo, quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.

Admone illos Principibus & Potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse. *Tit. 3.*

Sub-

Subditi eſtote omni Creaturæ, ſive Regi quaſi præcellenti, ſive Ducibus tanquam ab eo miſſis, *1. Pet. 2.* Et poſt: Servi ſubditi eſtote in omni timore Dominis non tantum bonis & modeſtis, ſed etiam diſcolis, quoniam ſic eſt voluntas DEI.

Poſſe homines ſtatuere, indicant Apoſtoli prohibentes ab im̃olatis idolorum, ſangvine, & ſuffocato, *Actor. 15.* indicat Paulus *Ad Tit. Ad Tim. Ad Corinth.* qui tot Leges dedit de conſtituendis Epiſcopis, de Viduis de Mulieribus velandis, ut non prædicent Mulieres, de non deſerendo Conjuge infideli, de rebus prophanis & ſecularibus judicijs. Et Paulus homo fuit. *Actor. 14.*

Itaque fratres ſtate & tenete traditiones quas didiciſtis, ſive per ſermonem ſive Epiſtolam noſtram. *2. Theſal. 2.*

Imò ſemper licuit Sacerdotibus & Presbyteris ſtatuere.

Deuteronomij, 12. Prohibet Dominus ne erigatur Altare, niſi ubi ſit Arca fœderis, tamen Samuel exiſtente Templo in Sylo,

Sylo, erexit lapidem in Masphat. *1. Reg. 7.* Et Helias erexit in monte Carmelo. *3. Reg. 18. Deutero. 17.* Si judicium ambiguum fuerit. supra loco 1.

Supra Cathedrã Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, quæ dicunt facite. *Math. 18.* Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. *Matth. 23.*

Quicunque perfecti sumus hoc sentiamus, & si quid aliter sapitis, & hoc vobis revelabit Deus. *Phil. 3.* Ecce quod Ecclesia statuit in honorem Dei, hoc Deo revelante facit.

2. Cor. 11. Laudo vos Fratres quòd per omnia mei memores estis, & sicut tradidi vobis præcepta mea tenetis. Non autem tradidit eis omnia in scriptis *ut supra.* & hujusmodi præcepta tradita in primitiva Ecclesia, scripta & non scripta, *testatur Dionysius, 1. de Ecclesia Hierarchia.*

Non facietis ibi, quæ nos hic facimus hodie, singuli quod sibi rectum videtur. *Deut: 12.*

Secundum Axioma.

Ecclesiasticæ Consvetudines, Ritus & Cere-

Ceremoniæ, æquè sunt observandæ, atque leges divinæ.

Manifestatur primo â simili. Consvetudo in civilibus habet vim legis, cur non in usibus Ecclesiæ? quia consvetudo Ecclesiæ valet contra contentiosos. *ff. de leg. l. diurna. & l. 1.*

Si quis videtur contentiosus esse nos talem consvetudinem non habemus, ueque Ecclesia Dei. *Super quo ait Hieronymus.* Apostolus quum præcepisset mulierem orare velato capite; *2. Cor. 11.* prævenit objectionem, qua quispiam ei dixisset ubi scriptum est? per hoc quod allegat consvetudinem.

2. Pet. 3. Venient in novissimis temporibus in deceptione illusores, juxta proprias concupiscentias ambulantes: hoc faciunt Hæretici, qui non secundum statuta patrum vivunt, sed secundum propria desideria.

Hæretici sunt Chamitæ deridentes nuditatem Matris Ecclesiæ, quia sine expresso textu scripturæ præcipiat.

Phil. 4. Fratres quæcunque sunt vera,

quæcunque pudica, quæcunque amabilia, quæcunqne bonæ famæ, si qua virtus si qua laus disciplinæ, hæc cogitate quæ & didicistis & accepistis & audistis & vidistis in me, hujusmodi autem sunt constitutiones Ecclesiæ, quare sunt servandæ.

Act: 15. Perambulabat (S.Paulus cum Sila) Syriam & Ciliciam confirmans Ecclesias, præcipiens custodire præcepta Apostolorum & Seniorum.

Quum pertransirent Paulus Silas & Timothæus Civitates, tradebant eis custodire dogmata, quæ erant decreta ab Apostolis & Senioribus qui erant Hierosolymis. *Act: 16.* Pondera decreta, quod non erat solum decretum de cessatione legalium.

Christus non solum dedit potestatem plantandi Ecclesiam per prædicationem, sed etiam regendi, modo illa includit potestatem faciendi statuta pro salutari regimine, sine quibus hic non vivitur, &c. *Act: 20.* Attendite igitur vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam DEI.

Denuntiamus vobis Fratres in nomine Domini nostri JESU Christi, ut subtrahatis vos ab omni Fratre ambulante inordinatè, & non secundum traditionem quam acceperunt à nobis. *2. Thes. 3.*

Policar: ad Philip. Subjecti estote presbyteris & diaconis, sicut Deo & Christo. *Hieronym: ad Lucinium.* Traditiones ecclesiasticæ observandæ sunt, ut à majoribus traditæ sunt, unaquæque Provincia sensu suo abundet, & præcepta majorum, leges Apostolicas arbitretur.

Extant multi canones in decretis super illa re ex verbis Aug: *c. Ecclesiasticarum c. in his c. catholica. cum similibus dist: 11.*

Obedite Præpositis vestris & subjacete eis, ipsi enim reddituri sunt rationem pro animabus vestris. *Heb: 13.*

Omnia secundum ordinem fiant in vobis, ordo autem requirit legem. *1. Cor. 14.*

Objiciunt Hæretici.

I. Frustra me colunt docentes doctrinas & præcepta hominum. *Mar. 7.*

II. Non addetis ad verbum quod loquor vobis, nec auferetis ex eo: *Deu. 4. 12. Apoc. ult.*

III. Empti estis pretio, nolite fieri Servi Hominum. *Cor. 7.*

IV. Si Spiritu ducimini, non estis sub Lege. *Gal. 5.*

V. Justo non est Lex posita. *1. Tim: 1.*

VI. Lex Iram operatur. *Rom. 4.*

VII. Ubi Spiritus Domini, ibi Libertas. *2. Cor. 3.*

VIII. Qua Libertate Christus nos liberavit. *Gal: 4.*

Respondent Catholici.

De I. Christum non improbasse traditiones hominum simpliciter, sed quas faciebant contrarias legi divinæ, aut relinquebant Legem divinam, quia ubi supra sequitur: Relinquentes enim Mandata Dei, tenetis traditiones hominum. *Mar. 7.* Et dicebat illis: Bene irritum fecistis præceptum Dei, ut traditionem vestram servetis. Sicut ibi declarat, & apud Matthæum, *Mat. 13.* Explicat Paulus.

lus, Non intendentes mandatis hominum aversantium veritatem. *Tit. 1.*

Hinc væ æternæ damnationis comminatur Dominus condentibus hujusmodi traditiones impias. Væ, inquit per Prophetam, *Esa. 10.* qui condunt leges iniquas; & scribentes injustitias scripserunt, ut opprimerent in judicio pauperes, & vim facerent causæ humilium populi mei, ut essent viduæ præda eorum & pupillos deciperent, &c. Constitutiones verò Ecclesiæ, augent cultum divinum, concupiscentiam Carnis coërcent, & ad servanda divina præcepta expeditiorem faciunt, ac fraternam charitatem augent.

De II. Nihil addendum est scripturæ quod corrumpat aut depravet ipsam, aut quod dicatur esse de integritate sacræ scripturæ, secus quando promovet ea quæ in sacris literis sunt mandata vel consulta: nam constitutiones Ecclesiæ, & si non sunt in scriptura in propria forma, tamen emanant ex ea, ut testatur Sapiens:

Prov. 30. Omnis sermo Dei ignitus

clypeus est sperantibus in se. Ne addas quicquam verbis illius, & arguaris inveniarisque mendax. Non prohibetur ergo simpliciter omnis additio, sed solum additio falsa & mendax.

Apocal. ult. Si quis, *inquit*, apposuerit ad hæc apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto. His verò qui addunt vel apponunt exponendo, declarando aut interpretando scripturas, leges aut constitutiones ad divinum honorem, Ecclesiæ decorem & animarum salutem condendo (propter quod etiam Christus alios voluit esse Doctores in Ecclesia, alios Apostolos, alios Evangelistas, alios Pastores. Et alij dantur genera lingvarum, alij interpretatio sermonum) *Eph. 4. 1. Cor. 18*, promittitur æternæ vitæ præmium, qui operantur (ait ipsa æterna sapientia) in me, non peccabunt, & qui elucidant me, vitam æternam habebunt, *Eccl. 24. Et alibi*: Qui docti fuerint fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. *Dan. 12.*

Accu-

Accuratius ſolvitur quod ibi prohibentur Tikun Zofrim, & illam ſolutionem credo veram. *Vide in Porcheto & Galatino.*

De III. Non debent fieri ſervi hominum, faciendo ſchiſmata, ut unus ſit Cephæ, alter Apollo.

De IV. Qui aguntur perfecte ſpiritu, non ſunt ſub lege Moſaica aut coërciva, egent tamen lege directiva: ſicut Adam habuit legem in paradiſo.

De V. Juſto perfecta charitate, qui totus regitur ſpiritu divino, non eſt lex poſita, pro ea parte qua eſt juſtus, ſed quia caro concupiſcit adverſus ſpiritum, pro ea parte habet legem reformantem. *Gal. 5 Vel dic ut de quarto.*

De VI. Lex Moſaica iram operatur, ſi non adjuvamur à gratia, gratia autem & veritas per Jeſum Chriſtum.

De VII. Libertas Evangelica ſicut non excludit poteſtatem & obedientiam ſuperioris, ita nec ejus ſtatuta, ſed libertas illa opponitur ſervituti legis Moſaicæ, & ſervituti peccati: *Rom. 13.* Ideò eſt ſo-

lum libertas in spiritu, quia non servit peccatis, & quia ipsa libertas promovet bonum, non excludit constitutiones & Ecclesiæ præcepta, quæ similiter promovent bonum, ut testatur Paulus: *Gal. 5.* Vos in libertatem vocati estis fratres, tantum ne libertati occasionem detis carnis, sed per charitatem spiritus servite invicem. *Et Petrus, 1. Pet. 2.* Quasi liberi, & non quasi velamen habentes malitiæ libertatem, sed sicut servi Dei. *Item: 2. Pet. 2.* Qui, scilicet hæretici, in errore conversantur libertatem illis promittentes, cum ipsi servi sint corruptionis. Hoc beati Petri verbum impletum videmus in priapistis Lutheranis, omnis spurcitiæ & immunditiæ servis, hanc impiam & diabolicam servitutem, libertatem evangelicam mentientes.

Porrò in sacris literis sæpe commendatur libertas ab onerosa illa lege Moysaica. Paulus *Rom. 67.* Non estis sub lege, sed sub gratia. *Infra*: Lex in homine dominatur quanto tempore vivit: itaque fratres mortificati estis legi per corpus Christi. *Gal. 23.* Non

Non justificatur homo ex operibus legis, lex pædagogus noster fuit in Christo JEsu. Et quicunque ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt. State & nolite iterum jugo servitutis contineri. Si circumcidimini, Christus nihil vobis proderit. *Gal. 4.*

Ideò ablatæ sunt Neomeniæ, sabbata baptismata, &c. Quomodo convertimini iterum ad infirma & egena elementa? quibus denuo servire vultis, dies observatis & menses & tempora & annos. Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum & medium parietem maceriæ, solvens inimicitias in carne sua, legem mandatorum decretis evacuans. *Eph. 2.* Nemo vos judicet in ullo cibo, aut potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbatorum, quæ sunt umbra futurorum, *Col. 2. idem in Epistola ad Hebræos. & Act. 15.*

Est igitur Christiana seu Evangelica libertas non aliud quàm (ut Paulo placet) redemptio seu absolutio à servitute legis & peccati per Iesum Christum facta, qua ad-

addicti Deo & justitiæ, filiorum adoptionem recipimus. *Rom. 6. 7. & 8. Gal. 5. De hac libertate Salvator dixit Iudæis.* Si Filius vos liberaverit, vere liberi eritis. *Ioan. 8. Vide ibidem Augustinum.*

DE FESTIS ET JEJUNIIS.

Non esu Carnium, & Gradibus Consangvinitatis.

XIIII.

Unum Diem in Septimana DEO consecratum, est omnibus obvium.

IN lege Moysi adhuc instituit Deus alia atque alia festa. *Exo. 28.* Tribus vicibus per singulos annos mihi festa celebrabitis, Azymorum, primitivorum, & frugum. *Et infra: Ibid.* Ter in anno apparebit omne masculinum tuum coram Domino Deo tuo. S. Paschæ, Pentecoste, & Scenapegiorum.

Ha-

Habes hoc loco Judeorum peregrinationem & ex ea & in ea fundatam peregrinationem Christianam.

Mense septimo prima dies mensis erit vobis sabbatum memoriale clangentibus tubis, & vocabitur Sanctum. *Levi 85. Infra*: Decimo die mensis hujus septimi dies expiationum erit celeberrimus, & vocabitur sanctus, *infra*: A quintodecimo die mensis hujus septimi, erunt feriæ tabernaculorum septem diebus: quid in uno quoque die offerendum *Num. 28.*

In Calen. autem, in mensium exordiis, offeretis holocaustum Domino. *Exo. 40.*

Num. 7. Dedicavit Moyses tabernaculum Domini.

Dedicatio templi primi sub Salomone. *3. Reg. 8.*

Dedicatio templi secundi sub Esdra. *1. Esdr. 6.*

Dedicatio templi restituti & altaris, sicut legitur. *1. Mac. 4.*

Et fecerunt dedicationem altaris diebus octo.

Expende Encænia à Machabæo instituta,

tuta, tamen à Christo observata. Colligamus festos dies Judæorum præter sabbata, septem dies azymorum Paschæ, unum Pentecostes, unum tubarum, unum expiationis, (qui erat in capite anni) septem tabernaculorum seu Scænopegia, septem Encæniorum seu luminum. aut dedicationis. Neomenias seu lunationes habebant dies. 12. in Embolismali. 13. collecti dies faciunt trigintaquinque, ubi tantum tria sabbata intercurrunt.

Cum autem majora receperimus beneficia à Deo per Evangelium, quàm Judæi sub lege, cur non plures etiam dies agendi gratias haberemus: vel hos maxime qui fuerunt in veteri lege?

Unde festo Paschæ legalis, succedit in nova lege festum passionis & resurectionis Christi. Etenim Pascha nostrum immolatus est Ghristus. *1. Cor. 5.* Festo Pentecostes in quo data fuit lex vetus, succedit Festum Pentecostes in quo data fuit lex Spiritus vitæ. *Act. 2.* Festo Neomeniæ Festum gloriosæ Virginis Mariæ, in qua primo apparuit illuminatio Solis, id

est,

est, Christi per copiam gratiæ. Festo tubarum succedunt Festa Apostolorum quorum prædicationis sonus exivit in omnem orbem terrarum. Festo expiationis succedunt Festa Mrtyrum & Confessorum.

Festo tabernaculorum succedit Festum consecrationis Ecclesiæ. Festo cetus atque Collectæ succedit Festum Angelorum, vel etiam Festum Omnium Sanctorum.

Sabbatum est multipliciter à Deo præceptum, *Gen. 2. Exo. 20. Nu. 15.* nec in Evangelio nec in Paulo definitum est, cessasse sabbatum attamen Ecclesia instituit diem Dominicum, per traditiones Apostolorum sine scriptura Dominicæ diei meminit Joannes dicens: Fui in Spiritu in Dominica die. *Apoc. 1.* Meminit & ejusdem diei suus Discipulus Ignatius *ad Philip: in fine. Hieron. de Dominica Paschæ*: Universa sabbati gratia, & antiqua illa Festivitas Judæorum, diei istius solennitate, mutata est.

Mutatum est autem sabbatum quod significat primam creationem, in diem domi-

dominicum, in quo commemoratur nova creatura inchoata resurrectione Christi. *Unde Augustinus ad inquisitiones Ianuarij.* Dies Dominicus non Judæis sed Christianis, resurrectione Domini declaratus est, & ex illa cœpit habere Festivitatem suam. *Concil. Lugdunen. ponit Festum S. Laurentij, Michaëlis, Martini & Omnium Sanctorum c. 1. de consec. dist. 3. Et inventionis Crucis, ca. Crucis.*

August. contra Faustum li. 19. Cum quæris, Sabbati otium cur non observat Christianus? Respondeo: Imò id propterea non observat Christianus, quia quod figura profitebatur, jam Christus implevit. *Plura de his Tertullianus, Cyprianus, Ambrosius, Gregorius ad Romanos.*

Festum S. Laurentij celebrabant Hippone *Aug. tract. 27. super Ioannem: & Romæ sub Leone Papa ut in homilia illius Diei.*

De Ciborum Delectu, *Secunda Propositio.*

ECclesia licite prohibet certos cibos, certo tempore. *Act. 15.*

Absti-

Abstineatis vos ab immolatis simulachrorum & sangvine & suffocato. *Act.* 15.

Quæ pacis sunt sectemur, & quæ ædificationis sunt invicem custodiamus, noli propter escam destruere opus Dei, omnia quidem munda sunt, sed malum est homini, qui per offendiculum manducat. Bonum est non manducare carnem, & non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut infirmatur, aut scandalizatur. *Rom.* 14.

Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem. 1. *Cor.* 8.

Caro & vinum non introierunt in os meum. *Dan.* 10.

Leo Papa. 4. dicit: *De con. di.* 3. *ca. de esu carnium.* Vetustissimam esse consvetudinem abstinendi à carnibus quarta & sexta feriis. Et ex Hieronymo colligitur super episto. ad Gala. Et Ignatius testatur S. Joannis Evangelistæ Discipulus ad Phil.

De Jejuniorum Ratione,
Tertia Propositio.

DE Jejunio idem liquet rem esse sanctam propter corporis macerationem, Spiritus pertinacis expulsionem, divinæ Gratiæ implorationem, & Christi jejunantis imitationem.

Genua mea infirmata sunt à jejunio, & caro mea immutata est propter oleum. *Psal. 108.*

Nunquid possunt filij sponsi lugere quandiu cum illis est sponsus. *Mat. 9.*

Venient autem dies, cum auferetur ab eis sponsus, & tunc jejunabunt. *Luc. 5.*

Illud opere impleverunt Apostoli. Ministrantibus illis domino & jejunantibus, dixit illis Spiritus Sanctus: Segregate mihi, &c. *Act. 13.*

Cum constituissent illi super singulas Ecclesias presbyteros, & orassent cum jejunationibus, commendaverunt eos Domino. *Act. 14.*

In omnibus exhibeamus nos sicut Dei ministros, in multa patientia, in labori-

boribus, in vigilijs, in jejunijs. *1. Cor. 9.*
Ninivitæ indixerunt jejunium. *Rom. 3.*
Tu cum jejunas unge caput tuum, & faciem tuam lava, ne videaris hominibus jejunans, sed patri tuo qui est in abscondito, & Pater tuus qui est in abscondito reddet tibi. *Mat. 6.* Ecce jejunium meritorium.

Idem de Quadragesima.

Cum jejunasset Jesus quadraginta diebus & quadraginta noctibus postea esurijt. *Mat. 4.*
Moyses jejunavit. 40. diebus & 40. noctibus. *Deut. 5.*
Similiter Helias totidem diebus jejunavit. *3. Reg. 16.*
Sanctificate jejunium. Humiliabam in jejunio animam meam. *Iohel. 2. Psal 34.*
Si voluerit mulier ut per jejunium affligat animam suam, in arbitrio viri erit, si faciat sive non faciat. *Num. 30.*
Si audiens vir tacuerit, & in alterum diem distulerit sententiam quicquid voverat atque promiserat reddat. *3. Reg. 21.*
Sacra scriptura ubique testatur jeju-

nium Deo fore acceptum, in Achab, Tobia, Judith, Hester, Daniele, Ninivitis, Anna vidua. *Tob.* 12. *Levi* 2.

Ignatius ad Philip. Quadragesimam verò nolite pro nihilo habere, imitationem enim continent conversationis Dei.

Confirmavit Thelesphorus Papa vicinus temporibus Apostolorum. Item *Ambrosius, in multis sermonibus. Concilia item Agathense & Aurelianen. Origenes Homil.* 10. *super Levi.* Habemus dies quadragesimæ jejuniis consecratos. *Hieron. adversus Montanum.* Nos quadragesimam secundum traditionem Apostolorum, jejunamus.

Jovinianus, qui jejuniorum afflictionem & omnem corporis cruciatum in luxuriam & epulas convertit. *Hiero.*

Valentiniani hæretici omni tempore carnes libere comedendas dixerunt. *Hirene. lib.* 1. *cap.* 1.

Chrysostomus *Ho.* 52. *super Matth.* meminit de jejunijs monachorum, & quomodo dicant gratias.

Origenes, *Homil.* 10. *super Levi.* Habemus

mus quadragesimæ dies jejunijs consecratos, habemus quartum & sextum septimanæ dies, quibus solenniter celebramus. Est certe libertas Christiana per omne tempus jejunandi, non observatione superstitiosa, sed virtute. Nam quomodo apud eos castitas incorrupta servatur, nisi arctioribus continentiæ fulta subsidijs? Quomodo sapientiæ & scientiæ student? Nonne per continentiam ventris & gutturis? Quomodo quis se ipsum castrat propter regnum cœlorum, nisi ciborum affluentiam recesset? nisi abstinentia utaris ministra? Hæc ergo Christianis jejunandi ratio est. Hæc ille.

Maximus Episcop. Sacrarum literarum exempla protulimus, quibus approbamus hunc quadragenarium numerum non esse ab hominibus constitutum, sed divinitus consecratum, nec terrena cogitatione initiatum, sed cœlesti majestate præceptum. *Et paulò post*: Hæc autem non tam Sacerdotum præcepta quàm Dei sunt. Atque ideo, qui ea spernit, non Sacerdotem spernit, sed Christum

qui

qui in suo loquitur Sacerdote. 1. *Thes.* 4.
Ambrosius sermo. de jejunio: Ut sciamus *inquit* non esse novellum jejunium, primam illic (scilicet in paradiso) legem constituit (s. primis parentibus) de jejunio, &c. Gregorius, Augustinus, & omnes quotquot fuere doctores catholici ita senserunt & docuerunt de jejunijs observandis.

Quarta Propositio.
De Gradibus Consangvinitatis.

GRadus Consangvinitatis impediunt matrimonium. Joannes Baptista increpavit Herodem dicens: Non licet tibi habere Uxorem Fratris tui. *Mat.* 6.

Paulus tradidit satanæ Corinthium fornicantem cum sua noverca. 1. *Cor.* 3.

In veteri lege gradus consangvinitatis & affinitatis sunt à Dea prohibiti. Omnis Homo ad proximam sangvinis non accedet, ut revelet turpitudinem suam. *Le-*

vi. 18. Grego: Episcopis Galliæ. Progeniem suam unumquenque usque ad septimam observare decernimus generationem, & quamdiu se agnoscunt affinitate propinquos, ad conjugalem accedere copulam negamus, quod si fecerint separentur. *De Consang. & Affi. c. non debet.* Concilium tamen generale reduxit ad quartum gradum.

Ambrosius libro octavo epistola 66. docet, non omnes gradus illicitos à lege fuisse expressos. Ante tempora beati Gregorii dispensabant etiam in secundo gradu, scribit enim Augustino Angelorum Episcopo. Quædam lex Romana permittit, ut sive Fratris vel Sororis, seu duorum Fratrum germanorum Filius & Filia miscantur, sed experimento didicimus ex tali conjugio sobolem non succrescere. *15. q. 3. c. quædam lex.*

Objiciunt Hæretici contra secundam Propositionem.

I. Non quod intrat in os, coinquinat hominem, *Mat. 15.* II.

II. Omnis Creatura Dei bona est, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. *2. Tim. 4.* Et ibi vocat doctrinam dæmoniorum & mendacem abstinere à cibis, quos Deus creavit, ad percipiendum cum gratiarum actione, fidelibus.

III. Omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum.

IV. Nemo ergo vos judicet in cibo aut in potu, aut in parte diei Festi, aut Neomeniæ, aut sabbatorum, quæ sunt umbra futurorum. *Col. 2.*

V. Si Spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis, non dixit jejunijs. *Rom. 9.*

VI. Christus in Evangelio non præcepit discretionem ciborum, *Act. 27.* quid ergo imponitis hoc onus fidelibus?

VII. Libertas Christiana non patitur hæc onera servitutis.

Respondent Catholici.

De I. Nihil sic dicere Christum de jejunio, sed tollere errorem Judæorum, qui credebant, cibos non lotis manibus

tactos

tactos fieri immundos, & comedentem hunc cibum fieri immundum, ut liquet ex Matthæo, & Marco, hanc stultitiam rejicit Christus, cibos illotis manibus tactos non inquinare comedentes. *Mar.7* Alioquin comedens suffocatum, tempore Apostolorum, aut venenum scienter, non fuisset coinquinatus. *Hunc locum torquebant & Manichæi contra delectum ciborum, Augustinus, libro 16. contra Faustum.*

Adverte igitur, quod cibus intrans in os, quia in ventrem vadit, & in secessum emittitur, non coinquinat hominem. Sed homo ipse contra Dei & Ecclesiæ prohibitionem, aut etiam Ecclesiæ consvetudinem ac contra proprium votum, aut cum scandalo proximi sui sumens cibum, seipsum coinquinat. Hoc enim procedit ex malo corde, item ex contemptu Dei & Ecclesiæ in suis præceptis.

Unde August. Li. 14. de cibo Dei. cap. 12. Non ideo debet quis existimare leve ac parvum fuisse illud peccatum commissum in paradiso, quia in esca factum

est,

eſt, non quidem mala ac noxia, niſi quia prohibita, &c. Ita vinum utique bonum in ſe Rechabitas coinquinaſſet, ſi illud contra patris prohibitionem bibiſſent. *Hiere.* 35. Sed quia abſtinuerunt, placuerunt Domino, ſequitur enim: Hæc dicit Dominus exercituum de Iſrael. Pro eo quod obediſtis præcepto Ionadab patris veſtri, & cuſtodiſtis omnia mandata ejus, non deficiet vir de ſtirpe Ionadab Filii Rechab, ſtans in conſpectu meo cunctis diebus.

Et de Joanne Baptiſta prædixit Gabriel Angelus vinum & ſiceram non bibet. Item eſca ejus erat locuſtæ & mel ſylveſtræ. *Luc.* 1. *Mat* 3. *Mar.* 1. *Luc.* 3.

Eleazarus & Machabæi potius mori elegerunt, quàm ſuillis contra divinæ legis prohibitionem veſci carnibus. 1. *Mac.* 7. Sed inobedientes Lutherani vaniloqui & & ſeductores, univerſas domos ſubvertentes, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia, ut Cretenſes ſemper mendaces, *Tit.* 1. malæ beſtiæ, ventres pigri, nulla ſervant Eccleſiæ jejunia, ſedentes

ſuper

ſuper ollas carnium in Ægypto, nauſeantes manna cœleſte, *Numer: 11.* gravantes corda ſua crapula & ebrietate, mentem habentes & conſcientiam inquinatam. *Lucæ 21.* Gloriantur ſe evangelicos, factis autem negant, cùm ſint abominabiles & increduli, & ad omne opus bonum reprobi. *Tit: 1.*

De II. Non voluit Apoſtolus Judaica obſervantia aliquos Cibos eſſe perpetuo prohibitos, ut carnem ſuillam (demptis Decretis in Concilio Apoſtolorum *Actor: 15.*) at Eccleſia credit omnem creaturam Dei bonam, licet pro tempore, ad mortificandum veterem hominem præcipiat ab aliquibus abſtinere.

Porrò hic non tractat Apoſtolus de jejunio, vel maceratione carnis, ſed quia Tatiani & alij Hæretici dicebant, certas eſſe res creatas à principio malo. Paulus hoc deſtruit, *1. Tim: 4.* quia omnis creatura Dei ſit bona, & cum gratiarum actione ſumenda, quod facit Catholicus, licet non pro omni tempore, nec Paulus hoc præcipit pro omni tempore.

De III. In Lege aliqua animalia erant immunda per ſignificationem, Judæi crediderunt per naturam, deſtruit errorem Paulus, quia fidelibus omnia ſint munda, & pro tempore comedenda : at quod non liceat abſtinere pro tempore, hoc non prohibet Apoſtolus. Unde S. Jacobus Minor, nunquam eſt uſus carnibus vel vino, *Authore Egeſippo.*

De IV. Similiter dicatur, nam noluit Fideles ritu Judaico judicari in cibo & potu & feſtis.

De V. Spiritu facta carnis mortificantur, ac ſpiritus juvatur, ſi caro jejuniis crucifigatur, ſicut dicit Paulus: Qui Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt. *1. Corinth: 9.* *Et iterum* : Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo. *Gal: 5.*

De VI. Etiam ſi Chriſtus non docuit aliquando abſtinendum à carnibus, hoc non refert, quia ipſe docuit magis neceſſaria ad ſalutem. Sed quæ expediunt & promovent ſalutem, reliquit magiſterio Spiritûs ſancti & Eccleſiæ, & ille non omnia per ſe explicuit.

De

De VII. Dic ut in puncto superiori de constitutionibus humanis argumento ultimo.

DE VENERATIONE SANCTORUM.
XV.

SAncti ut amici Dei, sunt implorandi, ut pro nobis intercedant: & licet Sancti, non sint adorandi latria, quia soli Deo debetur, tamen venerandi sunt dulia. *Ioannis 12.* Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus qui in Cœlis est. Si ergo Deus honorificat Sanctos, cur nos non honoremus Sanctos? Quandiu fecistis uni de his Fratribus meis minimis, mihi fecistis. *Math: 25.* Itaque honor exhibitus Sanctis, exhibetur Deo.

Mihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est Principatus eorum. *Psal: 138.*

Si steterint Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad Populum istum,

istum. *Hiere: 15.* Quod exponens *Gregor:* dicit, quasi diceret : *Nec illos modo pro amicis audio, quos magnæ virtutis merito, orare etiam pro inimicis scio.* Ubi manifeste innuit Hieremias Sanctos orare pro Populo.

Voca ergo si quis est, qui tibi respondeat, & ad aliquem Sanctorum convertere. *Iob 5.* Quæ quidem verba quamvis Elephas themanites ad Job dixerit, non tamen ea Job reprehendit, sed ut sanum consilium amici acceptavit. *Iob 33.* Ita & Heliu dixit: Si fuerit Angelus pro eo loqvens unum de similibus, ut annuntiet hominis æquitatem, miserebitur ejus, *scilicet Deus,* & dicet : Libera eum ut non descendat in corruptionem, inveni in quo ei propitier.

Ite ad Servum meum Job, & offeret Holocaustum pro vobis, faciem ejus suscipiam ut non imputetur vobis stultitia. *Iob 42.* Et infrà : Dominus quoq; conversus est ad pœnitentiam Job, qvum oraret ille pro amicis suis.

Dixit Jacob, & invocetur Nomen meum

um ſuper eos, & nomina Patrum meorum Abraham & Iſaac. *Gen. 48.*

Moyſes dixit ad eum: Quieſcat ira tua & eſto placabilis ſuper malitia Populi tui. Recordare Abraham, Iſaac & Iſraël, quibus juraſti per temetipſum, dicens: Multiplicabo ſemen veſtrum ſicut ſtellas cœli, &c. *Exod: 28.* Et ſequitur: Placatus eſt Dominus ſuper iniquitate Populi ſui.

Domine omnipotens Deus Iſraël, audi nunc Orationem mortuorum Iſraël, & filiorum ipſorum, qui peccaverunt ante te, &c. *Baruch, 5.*

Vidit Judas Machabæus Oniam manus protendentem, orare pro omni populo Judæorum. *2. Mach: 15.* Poſt hoc vidit alium virum ætate & gloria mirabilem, de quo dixit Onias: Hic eſt fratrum amator & Populi Iſraël, hic eſt qui multum orat pro Populo & univerſa ſancta Civitate, Hieremias Propheta Dei.

Si Patres veteri Teſtamenti in limbo nondum clara divinæ faciei viſione beati, pro ſuis orabant, quanto magis Sancti

in æterna Beatitudine Deum facie ad faciem perpetuo contemplantes, credendi ſunt orare pro nobis.

Quandiu feciſtis uni de Fratribus meis minimis, mihi feciſtis. *Matth: 25.* Itaq; honor exhibitus Sanctis, exhibetur Deo.

Pro hoc orabit ad te omnis Sanctus in tempore oportuno. *Pſal. 31.* Hebræi legunt omnis miſericors, Beati autem ſunt Sancti & miſericordes.

Abſolon reconciliatus Patri, per biennium tamen moratus Hieruſalem, non vidit faciem Patris ſui. *2. Reg. 14.* Sic peccator reconciliatus Deo, non ſtatim ſe præſentat Deo, ſed per mediatores & interceſſores.

Salomon Thronum Matri ſuæ juxta Thronum ſuum collocari præcepit. *3. Reg. 2.* Verus pacificus Salomon Chriſtus honorans Matrem ſuam, idem facit.

Angeli orant pro nobis, immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum & eripiet eos. *Pſal: 35.*

Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant vias tuas. *Pſal. 90.*

Orat Angelus prò Populo Judaico: Domine exercituum usquequo tu non misereberis Hierusalem, & Urbium Judæ, quibus iratus es? *Zach: 1.* Et respondit Dominus Angelo bona verba consolatoria.

Quatuor animalia & viginti quatuor Seniores ceciderunt coram agno, habentes singuli citharas & phialas aureas, plenas adoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum. *Apoc: 6.*

Angelus stetit ante Altare, habens Thuribulum aureum, & data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus Sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante Thronum Dei, & ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum, de manu Angeli coram Deo. *Apocal: 1.*

Omnes sunt administratorij spiritus qui in ministerium mittuntur propter eos, qui hæredes erunt salutis. *Hebræor: 1. Actor. 12.* Angeli ergo suffragantur nobis. Cur igitur eorum suffragia & ministeria non licet implorare?

Et eadem quæ de Angelis est ratio, est & de Sanctis, qui in regno cœlorum ipsis sunt æqvales. *Marci 12. Matth: 28.*

Nec superavit illum (Helisæum) *Eccl: 48.* ullum verbum, & mortuum prophetavit corpus ejus, in vita sua fecit monstra, & in morte mirabilia operatus est.

Secundo probatur rationibus.

Prima ratio. Christus intercedit pro nobis secundùm humanitatem ad Deum Patrem. *Rom: 8.* Quia & Christus Jesus interpellat pro nobis.

Jesus sempiternum habet Sacerdotium, unde & salvare in perpetuum potest, accedens per semetipsum ad DEUM, semper vivens, ad interpellandum pro nobis. *Heb: 7.*

Sed & si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam totius mundi. *1. Ioan: 2.*

Si ergo caput Christus orat pro nobis, cur non etiam membra ejus, Sancti cum eo rogantes, qui se conformant Christo?

Se-

Secunda ratio. Vivi orant pro invicem, & impetrant ſæpe. *Iacob* 5.

Orate invicem ut ſalvemini, & adducit orationem Heliæ. 3. *Regum* 17.

Moyſes oravit. *Exod:* 17. & 31.

Mulier Chananæa pro filia ſua *Math:* 15.

Centurio pro ſervo ſuo. *Lucæ* 7.

Paulus pro connavigantibus. *Act.* 27.

Si ergo vivi orant pro invicem, cur etiam beati mortui hoc non facerent, qui ſunt in charitate perfectiores, & apud Deum potentiores, & mente puriores?

Dilemma Lutheranis inſolubile. Aut ergo Sancti non orant pro nobis ſicut vivi: quia eſt res eis indigna, itaque non conveniet Chriſto, aut quia eſt res tantæ excellentiæ, quæ ſoli Chriſto & non alijs conveniet, ergo non conveniet viatoribus.

Imò vult Deus per Sanctos invocari. Quæſivi (inquit) de eis Virum qui interponeret ſepem, & ſtaret oppoſitus contra me pro terra, nè diſſiparem eam, & non inveni. *Ezech:* 22.

Obſecro, vos Fratres per Dominum

nostrum Jesum Christum, & per charitatem sancti Spiritûs, ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad DEUM, ut liberet ab infidelibus qui sunt in Judæa. *Rom:* 15.

Tertio, probatur authoritatibus Sanctorum.

Cyprianus ad Cornel: Papam Lib: 1. *Epist:* 1. Petit, ut si quis eorum prior decesserit, pro fratribus & sororibus nostris non cesset oratio.

Bernardus super Cantica, Homil: 66. *de Hæreticis sui temporis.* Irrident nos, quod in fonte baptizamus, & Sanctorum suffragia postulamus, atque Christum in utroque sexu, tam in mortuis quàm vivis proscribere volunt, nam & mortuos viventium fraudant suffragijs, & viventes nihilominus sanctorum qui discesserunt auxilijs spoliant.

Vigilantius dixit: Quòd dum vivim⁹, mutuo pro nobis orare possumus, postquam autem mortui fuerimus, nullius sit pro alio exaudienda oratio, *refert Hieronymus & improbat.* Sic enim pugnat

Hie-

Hieron: contra Vigilantium: Si Apostoli & Martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro cæteris, quando pro se adhuc debent esse solliciti, quanto magis post victorias, coronas & triumphos? Unus homo Moyses sexcentis millibus armatorum impetrat Domino veniam. *Exod*: 32. Et Stephanus imitator Domini sui, & primus Martyr in Christo, persecutoribus veniam deprecatur. *Act*. 7. Et postquam cum Christo esse cæperint, minus valebunt? Paulus Apostolus ducentas septuaginta sex sibi dicit in navi animas condonatas. *Act*: 27. Et postquam resolutus esse cœperit cum Christo, tunc ora clausurus est, & pro his qui in toto orbe ad suum Evangelium crediderunt mutire non poterit? Melíorque Vigilantius canis vivens, quàm ille leo mortuus? Recte hoc de Ecclesiaste proponeres, *Eccli*: 9. si Paulum in spiritu mortuum confiterer. *Hæc Hieronymus.*

Augustinus super Ioan: Tract: 84. Beati Martyres quorum memorias non inaniter celebramus. Item. Ideò quippe ad

ipſam menſam (id eſt Altare) non ſic eos commemoramus, quemadmodum alios qui in pace requieſcunt, ut etiam pro eis oremus, ſed magis ut orent ipſi pro nobis, ut eorum veſtigijs adhæreamus.

Auguſtinus in die Petri Pauli. Quisquis honorat Martyrem, honorat Chriſtum, & qui ſpernit Martyrem, ſpernit Chriſtũ. *Leo Papa de S. Laurentio,* cujus oratu & patrocinio adjuvari nos ſine ceſſatione confidimus.

Dionyſius Cap. 7. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ; Si quis ſpernat Sacro-Sanctam diſciplinam, atque infelici elatione ſeductus, dignum ſe arbitretur divina familiaritate ſanctóſq; deſpiciat, &c. Hic ſi intento careat deſiderio, imperita poſtulatione per ſe nunquam potietur.

Probatur quarto, Eccleſiæ Conſvetudine.

Atteſtatur uſus totius Eccleſiæ & Patres ſancti per omnia Chriſtianorum ſecula, tot miracula evidentiſſima, & feſtivitates ab Eccleſia de Sanctis inſtitutæ. Sanctus Savinianus erexit Eccleſiam S. Petro vivo, condidit & alias duas in honorem

norem Sancti Stephani, & S. Joannis Baptistæ in Galliā.

Objiciunt Hæretici.

Solus invocandus est Christus & Deus, quia solus sufficit, solus est liberalissimus & misericordissimꝰ, plus nos amans quàm Sancti omnes.

I. Si petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. *Joan. 10.*

II. Petite & accipietis, quærite & invenietis. *Lucæ 11.*

III. Omnia quæcunque petieritis iñ oratione, credentes accipietis. *Matth. 21.*

IV. Adeamus cum fiducia ad Thronum gratiæ ejus, ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio oportuno. *Hebr. 4.*

V. Igitur accedere debemus ipsum̃ Patrem misericordiarum, & Deum totius consolationis ad fontem gratiarum̃, potius quàm Sanctos. *2. Cor. 1.*

VI. Unus est mediator DEI & hominum, Christus JEsus, *1. Tim: 2.* Cur ergo nos volumus facere plures mediatores Sanctos?

VII.

VII. Porrò qvod de Baruch & Machabæis fuit adductum, dicunt illos libros non esse canonicos. *Hieronymus in Prologo super Proverb.*

VIII. Ad Hieremiam respondet Zwinglius hæreticus: Si Moyses & Samuel adhuc in humanis essent, ac pro populo isto intercederent, vinceret indignatio gratiam.

Diluuntur ista per Catholicos.

Hæreticos hic sophismatibus deceptos ex eo liqvet, qvod aliqva per eos inducta, æqve tollunt intercessionem Christi & omnia tollunt, æqve preces vivorum sicut mortuorum, quorum tamen intercessionem negare non audent, qvantumvis impij & blasphemi.

De I. Fatemur petendum, petendum in nomine Jesu, petendum cum fiducia, at illa non excludunt Sanctos, qvia & per Sanctos velut membra petimus in nomine Jesu eorum capitis: Unde Ecclesia concludit Collectas de Sanctis, per Christum Dominum nostrum.

Et

Et licet Deus ſit optimus, miſericordiſſimus, tamen eſt ordinatiſſimus, diſponit omnia ſvaviter, & inferiora per media ducit ad ſuperiora, *ait Dionyſius.* Et ſic patet ſolutio ad 1.2.3.4.

De V. Omnino placet, accedamus fontem gratiæ & Patrem miſericordiarũ, at cōmodius faciemus illud per Sanctos, quia DEUS noſter ignis conſumens eſt. *Deut.* 4. Merito timemus, ne pereamus à facie ejus ſicut fluit cera à facie ignis. *Hebræ:* 12. Ob hoc mediatores quærimus & interceſſores.

De VI. Unus eſt mediator redemptionis Jeſus Chriſtus, quia ille ſolus redemit genus humanum, non eſt aliud Nomen ſub Cœlo, in qvo oporteat nos ſalvari, ſed plures ſunt mediatores interceſſionis. Eſt igitur unus Mediator per redemptionem ſicut & unus Salvator. Is enim ſolus Paſtor bonus eſt, qvi dedit animam ſuam redemptionem pro multis. Sunt autem plures mediatores per interceſſionem, ſicut & plures tales Scriptura commemorat Salvatores. Moyſes ait, *Deut:*3.

Seqve-

Seqvester & medius fui inter DEUM & vos. Item. *Iudic.* 3. Suscitavit eis Salvatorem Othonielem. Et iterum: Et dedisti eis salvatores, qvia salvaverunt eos. *Neem*: 9. Pharao Rex Ægypti vocavit Joseph Salvatorem mundi. *Gen*: 41.

De VII. Omnes Canones Ecclesiæ de canonicis scripturis enumerant Machabæos, qvare ostendant hæretici, ubi judicatum sit libros canonicos esse, qvia invenient istos, licet in synagoga non fuerint canonici, ut testis est *Augustinus lib*: 8. *de Civit*: *Dei*, *c*. 36. Et cùm canon de libris sit æditus in Concilio Milevitano, forte nondum pervenit ad Hieronymum.

De VIII. Hoc est Hæreticorum proprium torquere scripturam, nam cùm ipsi semper exigant claras scripturas & nullas admittant glossas, cur jam allata clara scriptura extrariam adfert glossam: Deus dicit si starent, non dicit si viverent, & starent, potissimum cum illa glossa non sit fundata in Scripturis, in Concilijs, in sanctis Patribus, sed somnia ex indocto & insano cerebro Zwinglij hæretici.

Augu-

Augustinus L.20. cap.21. Populus Christianus memorias Martyrum religiosa solennitate celebrat, & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum consocietur, & orationibus adjuvetur, ita tamen, ut nulli Martyrum, sed ipsi Deo martyrum, qvamvis in memorias Martyrum constituamus Altaria. Vide seqventia, qvia Faustus hæreticus etiam impugnavit memorias Martyrum.

Explicite non est præcepta Sanctorum invocatio in sacris literis. Non in veteri testamento: ubi Populus alioqvin erat propensus in Idolatriam: & Patres erant in lymbo nondum Beati. *Isaiæ 63.* Abraham nescivit nos: Israël ignoravit nos. Sub Evangelio etiam non fuit præceptū, nè gentiles conversi crederent se iterum induci ad cultum terrigenarum, ut pro veteri more Sanctos non ut Patronos, sed ut Deos adorassent: sicut Lycaoniæ Paulo & Barnabæ sacrificare volebant. *Act: 14.* Porrô, si Apostoli & Evangelistæ docuissent Sanctos venerandos, arrogantiæ datum eis fuisset, ac si post mortem gloriam illam

illam qvæsivissent. Noluit ergo ss. expressis scripturis docere venerationem Sanctorum: sed ejusmodi firmatos in fide docuit per miracula & Sanctorum auxilia, fusis ad eos precibus, illos venerandos. Quamvis dispari cultu â Deo, qui latria colendus est: sicut Maria hyperdulia, & Sancti dulia, quæ extense etiam adoratio dicitur.

DE IMAGINIBUS CRUCIFIXI & SANCTORUM. XVI.

Licet gens Judæa esset propensior in Idolatriam, tamen Imagines aliquas Deus eis præcepit.

Duos quoque Cherubinos aureos & productiles facies ex utraque parte oraculi. Cherub unus sit in latere uno & alter in altero. *Exod. 25.*

Locutus est Dominus ad Moysen, fac serpentem æneum, & pone eum pro signo. *Num. 21,*

Non facietis vobis Idolum, & sculptile, nec titulos erigetis, nec insignem lapidem

pidem ponetis in terra veſtra, ut adoretis eum. *Levit. 26.* Et tamen Joſue moriturus poſuit lapidem prægrandem ſubter qvercum, quæ erat in ſanctuario Domini. *Ioſue ult.* Similiter Samuel, ſic permiſſum eſt altare filijs Ruben & Gad. 1. *Reg. 17. Ioſue 22.*

Euſebius: Sed juſtus, primus imagines Dei fecit, Hieronymus de Hebraicis q. & Comeſtor ſuper Geneſim, enarrat Judæos & cauſam cur fecit imagines.

Damaſcenus lib. 4. cap. 17, affirmat nos habere uſum imaginum ex traditione Apoſtolorum.

Euſebius lib. 2. Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ, & Damaſcenus referunt Chriſtum miſiſſe imaginem faciei ſuæ Abagaro Edeſſenorum Regi, aſſervatur Genuæ in Eccleſia Sancti Bartholomæi.

Faciem ſuam Dominus linteo impreſſam dedit Veronicæ, cujus Imagine ſanatus Tyberius Cæſar, qvi ob id decrevit Chriſto honores divinos. Verum qvod inſcio Senatu id fecerat, Senatus prohibuit, *ut author eſt Svetonius.*

San-

S. Lucas Virginem Mariam depinxit, ut celebris fama eſt per Eccleſiam.

Approbatus fuit Imaginum uſus in Concilio Nicæno ſecundo. Ex qvo hi verſiculi in latinum tranſlati:

Hoc DEUS eſt, quod Imago docet, ſed non Deus ipſa,
Hanc recolas, ſed mente colas quod cernis in illa.

In Conſtantinopolitano ſub Hirenæo, in tribus Concilijs Lateranen: ſub Greg: 2. & 3. & Stephano, & in Concilio Franckfordienſi ad Menum hæreſis Feliciana fuit damnata, quam ſpurij Eccleſiæ ſuſcitare nituntur, Græci appellarunt hæreticos illos, Iconoclaſtas, id eſt, fractores imaginum.

Græci Imperatores, centum annis tyrannicè impugnarunt uſum imaginum, & fuit potior cauſa transferendi Imperium in Germanos.

Beda, inqvit, Imagines fieri in Eccleſia Dei, nulla Divina litera vetuit.

Athanaſius ſcribit miraculum qvod contigit cum Imagine Crucifixi in Beritho, fuerat hæc Crux ſancti Nicodemi.

Illatio. Conſtat ergo Apoſtolorum tempore fuiſſe Imagines in Eccleſia.

Euſebius libro 7. ſcribit de Imaginibus Petri & Pauli Apoſtolorum, meminit Imaginis Chriſti, facientis miracula, narrat etiam in tripartita Hiſtoria lib 6. *Caſſiodor.*

Carolus Magnus qvatuor libros ſcripſit contra volentes tollere Imagines, unde Thuricenſes fundatorem eorum & Patronum Carolum potius ſeqvi debent cum Eccleſia Catholica, qvam hæreticum Zwinglium.

De Conſ. di. 3. ca. Perlatum, & ca. Venerabiles. Utilitas Imaginum eſt qvod inſtruunt ſimplices, admonent ſcientes, afficiunt omnes. Decet enim Deum viſibilem factum in humano habitu, viſibili imagine præſentari. Et Luther vel in hac parte ſapit, qvod Caroloſtadium Imagines deſtruentem & delentem ex Saxonia curavit proſcribi, & pro viribus hæreſi Felicianæ reſiſtit.

Luther contra Caroloſtadium ſic inqvit, Imagines rememorativas aut teſtimoniales, ſicut ſunt Imagines Crucifixi

& San-

& Sanctorum, probatum eſt eſſe tolerandas, etiam in lege. Et non ſolùm tolerandas, ſed qvamdiu memoria & teſtimonium in eis durat, tunc ſunt laudabiles, & honorabiles, ſicut ſtatuæ Joſue & Samuelis. *Vide librum noſtrum de Imagin:*

Objiciunt Hæretici.

I. *Exod: 20.* Non facies tibi ſculptile, neqve omnem ſimilitudinem qvæ eſt in Cœlo deſuper, & quæ in terra deorſum, nec eorum qvæ ſunt in aqvis ſub terra. *Simile dicit Exodi in fine. Deut. 4. & 5. & 27.* & multis alijs Scripturis veteris Teſtamenti.

II. Ezechias confregit ſerpentem æneum, qvem fecerat Moyſes. *4. Reg: 18.*

III. Chriſtus promiſit venire, & nunc tempus eſſe, qvod veri adoratores adorarent Deum in ſpiritu & veritate, ſpiritus autem non afficitur Imaginib⁹. *Ioan: 4.*

IV. Porrò ſubeſt periculum Idololatriæ ſub Imaginibus, & immundorum cogitatuum.

V. Balthaſar Hiebmair, *Vienna combu-*

ſtus

stus 1528, qvi se Fridberger jam nominat, novitius hæreticus, hoc cornutum facit argumentum. Aut præceptæ sunt Imagines, & tunc ostendatur Scriptura. Aut non sunt præceptæ & tunc nihil valent. Postea factus est Pater parabaptistarum.

Respondent Catholici.

De I. DEUM præcedentibus & seqventibus explicare mentem suam, nam sicut prohibuit venerari Deos alienos, ita prohibuit Imagines illorum: at qvia nos Sanctos non habemus pro Dijs, non prohibemur illorum facere Imagines. Nam ante verba citata, inqvit: Non habebis Deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile, &c. seqvitur: Non adorabis ea, neq; coles. Ecce in illum finem non debent fieri.
Et ita Luthermet intelligit.

Quod si Leo Jud Thuricen. Judaico more literæ affigitur, qvod absolutè facere imagines sit prohibitum, consectarium esset Salomonem pecasse, qvando fecit XII. Leunculos in solio, *2. Paral.9.*

pec-

peccasset sculpendo Boves in mari fusili, & leones & Boves,& Cherubim in basibus æreis, *3. Reg.7.* qvis est tam hebes, ut credat nullum fuisse pictorem,nullum sculptorem in Judæa, qvis tunc sculpsit Cherubim? *3. Reg. 6.* Et in moneta ait Christus: Cujus est hæc imago? *Matt:22. Marc:12.* *Augustinus lib: 20. contra Faustum cap. 23.* Et si usus qvarundam rerũ, similis nobis esse videatur cum gentibus, longe tamen aliter utitur his rebus Ecclesia quæ ad alium finem usum earum refert,sic dicito de Imaginibus gentilium & Christianorum.

De II. Qvod Ezechias destruxit serpentem, fuit causa hujus abusus populi idolatrantis: nam in loco eodem seqvitur. Siqvidem usq; ad illud tempus filij Israël abolebant ei incensum. Unde si constaret de abusu alicujus Imaginis,illa deberet aboleri, abstulit ergo serpentem, non qvia imaginem, sed qvia Judæi adorabant.

De III. Adorandum Deum dicimus potissimum in spiritu & veritate, qvod

ut

ut faciamus, imagines nos admonent & ad memoriam reducunt.

Nam ſpiritum non excludere ſigna. ſenſibilia, indicium nobis præſtant ſacramenta, quæ ſunt in ſenſibilibus ſignis inſtituta.

De IV. Nullum periculum ſubeſt idololatriæ, quia facillime poſſunt inſtrui ſimplices ad rectificandam eorum intentionem, puta quòd venerationem referant non ad imaginem ipſam, ſed ut Baſilius docet, ad prototypum. Ne detur occaſio aut periculum immundorum cogitatuū, laſcivia pictoribus inhibenda eſt.

De V. Liqvet ex puncto primo & ſecundo ac quarto, quàm verè cornutum ſit hoc argumentum muſcæ illius Ægyptiacæ. Non eſt hoc præceptum in Scripturis, ideò non obſervandum.

Quinimò hoc cornu eum impetamus, aliquid eſſe in Scripturis præceptum, & tamen non obſervandum, ut de Sabbati ſanctificatione, de non comedendo ſangvinem ſuffocatum, &c. Sufficiat Catholico, quod Ecclesia conſtituit imagi-

nes Sanctorum, velut utiles & expedientes, poni debere in Ecclesia, & cornua peccatorum confringantur. Dicam] ei Dominicam diem celebrare aut est præceptum, & ostendatur Scriptura, aut non est præceptum, itaque nihil valet, quod nec hæreticus dicet.

DE MISSÆ SACRIFICIO, XVII.

QUomodo à columnis Ecclesiæ instituta sit Missæ actio ceremoniosa (ut ita loqvar) ex Sancto Dionysio Apostolorum Discipulo liquet. At quia hæretici novi inauditam in Ecclesia Dei invenerunt hæresim, Missam non esse Sacrificium: Contrarium ex Scripturis probatur.

Semper fuit Sacerdotum Officium, offerre pro peccatis Populi, & ignorantijs, pro delictis, pro mundatione. *Levit:* 4. 5. 6. 9. 14.

Malach. 1. Non est mihi voluntas in vobis, nec munus accipiam de manu vestra. A solis enim ortu usque ad occasum,

ma-

magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur Nomini meo oblatio munda. Prædixit Propheta hic cessationem Sacrificiorum legalium, & institutionem Sacrificij novæ legis. Non poteris illud dicere solùm fuisse in Cruce, quia dicit sacrificari in omni loco, & loqvitur tantum de una Oblatione, & non est aliud Sacrificium nisi Corpus Christi toties in Missa repetitum.

Malach. 3. Quando dixit de adventu Messiæ, subdit: Et purgabit Filios Levi, & colabit eos quasi aurum & quasi argentum, & erunt Domino offerentes Sacrificia in Justitia, & placebit Domino Sacrificium Juda & Hierusalem, sicut dies seculi & antiqui. Ecce Salvator purificavit Sacerdotes Evangelicos ut offerant Sacrificia, non in sangvine, sed in justitia, *dicit glossa ordinaria.* Id est Eucharistiam,

Dan 12. Eligentur & dealbabuntur & quasi ignis probabuntur multi, & impie agent impij, neq; intelligent omnes impij, porrò docti intelligent: & à tempore cum ablatum fuerit juge sacrificiũ

& posita fuerit abominatio in desolationem, dies mille ducenti nonaginta. Illud esse implendum testatur Christus, *Matth: 24.* juge Sacrificium in adventu abominationis, id est, Antichristi, cessabit universaliter fermè per quatuor annos, cum desolatæ erunt Ecclesiæ. *Illatio.* Itaq; qui in particularibus Ecclesijs faciunt cessare juge Sacrificium Missæ sunt præcursores Antichristi.

Hebr. 5 Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur, in his quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & Sacrificia pro peccatis, qui condolere possit his, qui ignorant & errant, quoniam & ipse circumdatus est infirmitate, & propterea debet quemadmodum pro Populo ita etiam pro seipso, offerre pro peccatis. Hic Apostolus definit præcipuum officium unum Pontificum. s. offerre pro peccatis. Et cùm hæretici negant unum posse offerre pro alio. Paulus docet eum offerre pro peccatis Populi & suis.

Igna: Ab Apostolis freqventatã Missã osten-

ostendit, quod Ignatius Apostolorum Discipulus, qui vidit Christum, ad Smyrnenses, inquit: Propterea non licet sine Episcopo neq; Sacrificium immolare, neque Missas celebrare. Et quia nullum est Sacrificium reale novi testamenti (quia Cor contritum semper est Sacrificium. *Psal. 50.*) nisi corpus Christi, & tamen in Veteri testamento plura fuerunt Sacrificia, omnia Christi Sacrificium repræsentantia.

Hirenæus Lugdunensis lib. 4. cap. 32. Eum qui ex creatura panis est, accepit, & gratias egit dicens: Hoc est Corpus meum. Et Calicem similiter, qui est ex ea natura secundùm nos, suum sangvinem confessus est, & Novi testamenti, novam docuit oblationem: quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, in universo mundo offert Deo, vir sanctus & temporibus Apostolorum vicinus, non potuit clarius loqvi. *Cyprianus Martyr Cecilio fratri scribit*: Admonitos autem nos scias, ut in Calice offerendo dominica traditio servetur, neque aliud fiat à nobis, quàm quod pro

nobis Dominus prior fecit, ut Calix qui in comemorationem ejus offeretur, mixtus vino offeratur.. Hæc verba repetit Beatus August: *Lib. 4. de doctrina Christiana*, Et ita Missam dicit sacrificium. *Chrysostomus de fide ad Petrum cap: 7.* super Matthæum, super Epistolam 2. ad Timothæum, super Epistolam ad Hebræos. Similiter Beatus Ambrosius, Augustin⁹ sæpissime. Gregor: & alij. *Vide Libros nostros de sacrificio Missæ.*

Isid. lib. 1. de Offi. c. 15. Ordo Missæ vel orationum, quibus Deo oblata sacrificia consecrantur, primo à S. Petro est constitutus, cujus celebrationem uno eodemq; modo universus peragit Orbis.

Et sextaSynodo *De cons. di. 1. cap.* sic habetur: Jacob⁹ Frater Domini secundùm carnem, cui primum credita est Hierosolymitana Ecclesia; & Basilius Cæsariensis Episcopus, cujus claritas per totum Orbem refulsit in scripturis, addiderunt nobis Missæ celebrationem.

Sanctus Andreas ad Proconsulem dixit: Sed quotidie offerre Deo omnipotenti Agnum immaculatum. Ita

Ita obſervant omnes Latini, Græci, Chaldæi, etiam Schiſmatici, Hæretici, demptis novis illis dogmatiſtis.

Objiciunt Hæretici.

I. *Hebr. 10.* Una oblatione conſummavit in ſempiternum ſanctificatos.

II. *Hebr. 7.* Qui non habet neceſſitatem quotidie, quemadmodum Sacerdos, primùm pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde pro Populo, hoc enim fecit ſemel, ſeipſum offerendo.

III. *Hebr. 9.* Chriſtus per proprium ſangvinem introivit ſemel in ſancta, æterna redemptione inventa. *Et infra eodem cap:* Nunc autem ſemel in conſummatione ſæculorum, ad deſtitutionem peccati per oſtiam ſuam apparuit.

IV. *Hebr. 10.* In qua voluntate ſanctificati ſumus per oblationem corporis Jeſu Chriſti ſemel.

V. *Matth. 26.* Miſſa eſt teſtamentum, non ſacrificium, hic eſt ſangvis novi teſtamenti, referunt Matthæus & Marcus. Hic eſt Calix novum teſtamentum in

meo ſangvine. Quomodo ergo poteſt fieri Sacrificium ex teſtamento?

VI. *Marc. 14.* Miſſa eſt bene recordatio Sacrificij & Oblationis, ideò Chriſtus non dixit offerte, ſed hoc facite in meam commemorationem.

Reſpondent Catholici.

De I. Textus Apoſtoli expreſſos & manifeſtos torquent hic hæretici contra Miſſam. Gemina ſiquidem eſt oblatio Chriſti, & utraq; quidem realis & vera, quandoquidem in utraque Chriſtus verè & realiter offertur & ſacrificatur.

1. Ioan. 2. Una qua ſemel Corpus ſuum vivum, & ſangvinem Deo Patri obtulit in Ara crucis pro ſalute generis humani & totius mundi peccatis. Et de illa ſentit Apoſtolus *Hebr. 10.* oſtendens excellentiam hujus Sacrificij, ultra legis ſacrificia. De qua & *Epheſ. 5.* ſcribens, ait: Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſvavitatis.

Et ob id hanc oblationem repræſen-

tat sancta Mater Ecclesia qvotannis duntaxat semel in Parasceve, neq; fit de eo die Eucharistiæ consecratio, verum sumitur consecrata præcedenti die Eucharistia, nè sine Dominicæ Passionis fructu, illo die maneat Ecclesia. Altera verò oblatio sacra sacramentalis est, quâ quotidie in EcclesiaChristus offertur & sumitur à Sacerdotibus in sacrificio Missæ sub sacramento, *Luc*: 22. in commemorationem passionis, mortis, & oblationis prioris in Cruce semel peractæ. Ita quod Sacerdos in Persona Ecclesiæ præsentat Deo Patri oblationem factam per Filium in Ara crucis, & oblatum ipsum, & illa est oblatio secundùm ordinē Melchisedech. Quamobrem & hæc oblatio recte dicitur recordativa, non quasi Christus non realiter & veraciter offeratur (ut volunt hæretici) sed quia sub sacramento invisibiliter & recordative in memoriam prioris oblationis, suo jussu, suáque institutione offertur.

Hæc oblatio significatur per juge sacrificium quo quotidie immolabatur Agnus,

unus mane, & alter vespere, secundùm illud *Num:* 28.

Illam secundam oblationem faciunt Sacerdotes jussu Christi. *Ibid.* Hoc facite in meam commemorationem. Nam hoc facere, non solùm refertur ad sumptionem, sed etiam oblationem. Alioquin per illa verba non dedisset eis potestatem consecrandi. Christus semel oblationem perfecit in ara crucis, & effectus ejus quotidie derivatur ad nos Hinc fit ut dum prima oblatio meriti fuerit infiniti, secunda limitata est & finita. Tertia est oblatio mere recordativa, quæ fit in die parasceves.

Eusebius Emissenus Dist. 2. Quia corpus assumptum ablaturus erat ab oculis & illaturus syderibus, necesse erat, ut die Cœnæ sacramentum nobis corporis & sangvinis consecraret, ut coleretur jugiter per mysterium, & quod semel offerebatur in pretium, &c.

Illatio. Liquet jam contra hæreticos Missam non solum repræsentare Cœnam dominicam, sed & passionem, mortem &

obla-

oblationem. Claret quoque contra eosdem, Euchariſtiam non tantum eſſe Sacramentum (id quod ipſi contendunt) ſed ſimul eſſe Sacramentum & Sacrificium. Sacramentum quidem quatenus repræſentat & ſumitur. Sacrificium verô quatenus offertur & ſacrificatur Deo. Hac quoq; ratione, Miſſa in qua hæc peraguntur ſacrificium dicitur & eſt.

De II. III. & IV. Similiter dicatur ad quatuor ſequentia, loqvuntur enim de prima oblatione, liquet ex Chryſoſtomo dicente de hoſtia Chriſti. Et quia ſemel oblata eſt illa, oblata eſt in ſancta ſanctorum, hoc autem ſacrificium exemplar eſt illius, idipſum ſemper offerimus, nec nunc quidem alium agnum, craſtina alium, ſed ſemper idipſum, proinde unum eſt hoc Sacrificium. *Infra* : Sicut enim qui ubique offertur unum eſt corpus, non multa corpora, ita etiam & unum ſacrificium, Pontifex autem noſter ille eſt, qui hoſtiam mundantem nos obtulit, ipſam offerimus & nunc quæ tunc oblata quidem, conſumi non poteſt. Hoc autem quod

quod nos facimus, in comemorationem quidem fit ejus quod factum est.

Ecce quomodo quotidie offerimus unam oblationem, quæ semel oblata est, licet modus offerendi per recordationem & repræsentationem longe differat à prima reali oblatione.

De V. Missam esse testamentum proprie dicere non possumus, quia & corpus Christi ibi consecratur, & tamen non dicitur novum testamentum.

Hebr. 9. Igitur de sangvine quod dixit esse novum testamentum, intelligatur confirmative, ut sicut Moyses vetus testamentum confirmaturus accepit sangvinem vitulorum & hircorum, &c. Et aspersit omnem Populum, dicens: *Exod. 24.* Hic sangvis testamenti, quod mandavit ad vos Deus, ita Christus sangvine proprio confirmavit testamentum novũ, & introivit in sancta sanctorum. Porrò multa sunt novi testamenti quæ non pertinent ad Missam: ut baptismus, clavis sacerdotalis. Præterea non seqvitur quia Missa est testamentum, ideò non est sacri-

ſacrificium, ut proſequitur Rex Angliæ. Et teſtamentum ſecundùm Apoſtolum, *Hebr.9.* involvit mortem teſtatoris, & Miſſa eſt teſtamentum, tunc involvit mortem teſtatoris, & ita oblationem.

De VI. MISSA eſt recordatio Paſſionis Chriſti, non nude, ſicut aliquis laicus ſimpliciter communicat, ſed eſt hujuſmodi memoria, quod ibi eſt actio repræſentativa totius paſſionis, & hoc dixit Chriſtus, facite. *Luc. 22.* Non ſolùm dixit Sumite, ſed facite, hoc eſt (conjunctis prioribus & ſeqventibus) conſecrate, offerte, ſumite.

Ideò ea pars Miſſæ actio dicitur.

Sicut igitur juge fuit Sacrificium in veteri teſtamento, ita fit juge Sacrificium in lege gratiæ Chriſtus Jeſus Salvator noſter, niſi dum Antichriſtus advenerit, tunc ceſſabit ad tempus.) *Vide Libros noſtros tres de Sacrificio Miſſæ ad Regem Poloniæ.*

DE VOTIS: XVIII.

Vota eſſe reddenda Scriptura docet, natura dictat, & honeſtas imperat.

Jacob

JAcob vovit Domino in Bethel. *Gen*: 28.
Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tarderis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus, & ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum, ſi nolueris polliceri abſq; peccato eris. Quod autem ſemel egreſſum eſt de labijs tuis obſervabis, & facies ſicut promiſiſti Domino DEO tuo, & propria voluntate & ore tuo loqvutus es.

Levit: 27. Animal quod immolari poteſt, ſi quis voverit, ſanctum erit & mutari non poterit, nec melius malo, nec pejus bono. Omne quod Domino conſecratur, ſive Homo fuerit, ſive Animal, ſive Ager, non veniet, nec redimi poterit. Quicquid ſemel fuerit conſecratum, ſanctum ſanctorum erit Domino.

Iſta eſt lex Nazaræi, cum voverit oblationem ſuam Domino tempore conſecrationis ſuæ, & ab initio.

Vir ſive mulier cùm fecerint votum ut ſanctificentur, & ſe voluerint Domino conſecrare, à vino & omni quod inebriare poteſt, abſtinebunt. *Infra*; Uvas recen-

centes ſiccáſque non comedent,&c. Novacula non aſcendat ſuper capus ejus.

Quando votum mulieris obliget, Dominus decrevit in Numeris. *Num:30.*

Vovete & reddite Domino veſtro omnes qui in circuitu ejus offertis munera. *Pſal. 75.*

Vota mea reddam in conſpectu omnium. *Pſal. 115.*

Tibi reddam vota mea quæ diſtinxerunt, &c. *Pſal. 65.*

Sapiens ait: Vota juſtorum placabilia. *Prov. 15.*

Si quid voviſti Deo, ne moreris reddere, diſplicet enim ei infidelis & ſtulta promiſſio, ſed quodcunque voveris redde, multóque melius eſt non vovere, quàm poſt votum promiſſa non reddere. *Eccle. 5.*

Eſaias ait 19.c. In die illa S. Evangelij, colent eum hoſtijs & muneribus, & vota vovebunt Domino, & ſolvent, & placabitur illis & ſanabit eos.

Maledictus doloſus qui habet in grege ſuo maſculum, & votum faciens, immolat debile Domino, quia Rex magnus ego, dicit Dominus. *Malach. 1.* Ado-

1.Tim.5. Adoleſcentiores Viduas devita, cùm enim luxuriatæ fuerint in Chriſto, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Si Viduæ juniores damnationẽ habent, quia primam fidem irritam fecerunt, quid tunc de Monachis Fratribus & Nonnis noſtris Lutheranis, ſacrilegis, fornicatoribus & adulteris?

S. Marcus in Alexandria erexit Semmon, id eſt Monaſteria, teſte Euſebio & Philemone.

Rechabitæ dixerunt *Hier.35.* Non bibemus vinum, quia Jonadab filius Rechab Pater noſter præcepit nobis, dicens; Non bibetis vinum vos & filij veſtri uſq; in ſempiternũ, & Domum non ædificabitis, & ſementem non ſeretis, & vineas non plantabitis nec habebitis, ſed in tabernaculis habitabitis cunctis diebus veſtris, &c. & commendantur ibi à Domino.

Secundum Axioma.

Et Vota perpetua eſſe meliora, propter perſeverantiam.

Phil:

Philip. 1. Confido in hoc ipſum, quia qui cœpit opus bonum in vobis, perficiet uſq; in diem Jeſu Chriſti, ubi eſt Fides Lutheri quæ omnia poteſt?

Ibid. 4. Omnia poſſum in eo qui me confortat.

Eſai: 56. Hæc dicit Dominus Eunuchis: Qui cuſtodierint Sabbata mea, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea, & in muris meis locum. & nomen melius à filijs & filiabus, nomen ſempiternum dabo eis, quod non peribit: Ecce plus meremur ex voto.

Matth: 19. Sunt Eunuchi qui ſeipſos caſtrarunt propter Regnum Cœlorum, qui poteſt capere, capiat.

1. Cor. 7. Dico autem non nuptis & Viduis, bonum eſt illis ſi ſic permanſerint ſicutq; ego, quod ſi ſe non continent, nubant. *Infra:* De Virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do, tanquam miſericordiam conſecutus à Domino, ut ſim fidelis. Conſtat jure Divino licitum eſſe vovere, & præce-

ceptum exequi de continendo, de non bibendo vinum, &c.

1. Cor. 10. Fidelis est Deus, qui non patietur vos tentari, supra id quod potestis: sed faciet etiam cum tentatione proventum ut possitis sustinere.

Paulus Teclam in Iconio. Clemens Domicillam Romæ.

Matthæus Iphigeniam cum multis Virginibus consecravit, & Faustus fatetur, Filiæ Philippi servaverunt Virginitatem.

Dionys: in Epistola ad Cajum meminit Claustralium, & appellat eos cultores & cultrices, therapeutas, similiter Ignatius in Epist: ad Tarsen: firmat.

Tertullianus tempore Martyrum scripsit de velandis Virginibus.

Objiciunt Hæretici.

I. Christus donavit nobis libertatem, vota redigunt in servitutem.

II. Christus voluit consilia esse libera. & votarij faciunt illa præcepta.

III. Sunt adinventiones humanæ, & ad-

addunt ad Scripturam. *Deuteron 12.* Non addas ad verbum quod locutus ſum, nec minuas. *Apocal.22.* Si quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in hoc libro.

IV. Vota non renovant internum hominem, ſed ſolùm exteriora opera, quæ magis hypocritas faciunt, quàm Sanctos, ideò dixit Paulus: *1. Tim. 4.* Exerce te ad Pietatem, nam corporalis exercitatio ad modicum utilis eſt, pietas autem ad omnia valet.

V. Porrò opera illa externa extingvũt fidem, enervant ſpem, cum illis fiditur pluſquam miſericordiæ Dei.

VI. Votarij traditiones ſuas pluris ducunt quàm mandata Dei. *Lucæ 11.* Væ vobis Scribæ & Phariſæi, qui decimatis mentam & rutam & quodvis olus, & præteritis judicium & charitatem Dei.

VII. Baptiſmo fidelis eſt aſtrictus ad Regulam evangelicam, præſumptuoſum eſt ſe velle ad majorem Regulam coarctare, cum omni conatu non poſſit plus præſtare.

VIII.

VIII. Præterea magna insolentia est, quòd ij, qui monasticen colunt, tot faciunt sectas. Cùm alius Benedictum sui Ordinis jactat autorem, alius Franciscũ, alius Bernhardum? de dignitate ordinum inter se contendentes. Quid hoc est? Nonne satis erat illos esse Christianos? estne Franciscanus melior Christiano?

Respondet votarius Christianus.

De I. Vota bene redigunt in servitutem Christi, at hæc servitus est summa libertas. Unde Apostol: *Rom: 6.* Liberati à peccato servi facti estis justitiæ, & Deo. Imò servire DEO, est regnare cum ipso. Unde obligatio ad voti redditionem in nullò repugnat libertati Christianæ, eóq; sicut obligati ad præceptorum adimplerionem, & sicut præceptorum transgressio, ita votorum non observantia, dejicit in servitutem peccati. *2. Pet: 2.* Unde Lutherani votorum suorum transgressores servi sunt corruptionis turpissimi.

De II. *Con:de pactis, l.pacta.* Consilia sunt libera in communi, sed accedente promissione fiunt obligatoria, de hominibus

nibus

nibus, ait prætor, pactum ſervabo, cur Deo pacta non ſervaremus? Ideò Deus non præcipit vota fieri,ſed vota reddi.

Ut enim Matrimonium ante contractum liberum eſt, ubi autem contractũ fuerit firmum & indiſſolubile eſt, adeóq; neceſſarium, ut citra grande piaculum (extra ſervatoris caſum) divortium cogitari non poſſit. *Math.19.* Ita & de voto. Unde Innocentius Papa III. Licet univerſis ſit liberum arbitrium in vovendo,uſq; adeò tamen ſolutio neceſſaria eſt poſt votum, ut ſine propriæ ſalutis diſpendio,alicui non liceat reſilire. Unde Salvator: *Lucæ 9. 17.* Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retro aptus eſt Regno Dei. Et memores eſtote uxoris Loth, quæ retro reſpiciens, converſa eſt in ſtatuam ſalis. *Geneſ. 19.* Qui autem perſeveraverit uſquo in finem,hic ſalvus erit. *Math. 10. & 24.* Et Apoſtolus *2. Theſ. 2.* Tantum qui tenet nunc, teneat,donec de medio fiat, id eſt uſque ad mortem. Ruina enim eſt homini devotare Sanctos, & poſt vota retractare. *Prov. 20.* Reddite

dite igitur ô Votarij, quæ ſunt Dei, (hoc eſt vota veſtra) DEO, ut ſalvi fieri mereamini.

De III. Etſi Regulæ Monachorum & Fratrum ab hominibus ſint conditæ, fluunt tamen & fundantur in ſacris literis, nam in his nihil aliud habetur, quàm ſaluberrima monita Evangelij, & compendiariæ illius viæ. Quomodo nihil debeat addi ſacris literis, fuit dictum objectione II. *loco 13.*

De IV. Opera externa à Regulis dictata non renovant hominem internum, tamen adjuvant ſpiritum, ne nimium corpus aggravet animam. Quæ ſi fiant ſolùm ut videantur ab hominibus hypocritica ſunt, ſi ad gloriam Dei laudabilia. Apoſtolus non vult nihil eſſe exercitationem corpoream, ſed modicam eſſe ſi ad pietatem conferatur.

De V. Adeò externa opera non extingvunt fidem, ut illis maxime nutriatur, quia fides ſine operibus mortua eſt. *Iac. 2.* At ſi quis in operibus præſumeret, jam ille merito reus eſſet. Si feceritis omnia

quæ

quæ præcepta ſunt vobis, dicite, quia ſervi inutiles ſumus. *Lucæ 17.*

De VI. Qui negligunt præcepta Dei, male faciunt, ſive ſint religioſi, ſive laici.

De VII. Ut commodius religioſi perficiant præcepta Evangelica, & quod in baptiſmo promiſerunt, ideò vovent Regulas tanquam promoventiâ, ut expedite Deo ſerviant.

De VIII. Affectatio nulla eſt ſanctitatis aut præeminentiæ, quod religioſi diverſis titulis diſtingvuntur. Quemadmodum erant & in veteri Teſtamento, qui dicebantur Nazaræi, Rechabitæ ac Levitæ, &c. Neque etiam ejuſmodi ordines rectè ſectas dixeris, cùm ab Eccleſia Catholica nullo modo ſint ſeparati. Sed præ cæteris ad ſervanda Dei præcepta, & ſalubria Eccleſiæ conſilia, votis ſint obſtricti. Cur Luther non reprehendit Seqvaces ac Complices ſuos, quibus non ſatis eſt ut Chriſtiani dicantur, ſed tanquam Sciſmatici vocant ſe ipſos novo nomine Evangelicos? & ita diviſionem & Sciſma ab Eccleſia Catholica faciunt.

Copi-

Copiose de Votis scripsit Schatzgerus. Vide Dietenbergium, ac nostras Conclusiones 160. de Votis, & Chrisostom: Homil. 56. super Matth. qui tres libros scripsit in defensionem Monastices.

DE COELIBATU CLERICORUM. XIX.

Cùm in superiori puncto Christus laudaverit se castrantes propter Regnum Dei. *Matth. 19.* & Paulus *1. Cor 7.* Virginès seqvitur improbantes Cœlibatum, Christum & Paulum conculcare. *Levit. 21.* Scortum & vile prostibulum non ducet Sacerdos uxorem, nec eam quæ repudiata est à marito, quia consecratus est Deo suo, & Panes propositionis offert, sit ergo Sanctus, quia & ego Sanctus sum Dominus qui sanctifico vos. Et hodie offerentibus Panem vivum, qui de Cœlo descendit. Luther permittit Concubinas & Scorta ducere.

Ibid. De Summo Sacerdote. Virginem ducet Uxorem, Viduam autem & repudiatam & sordidam atq; meretricem non accipiet.

Et

Et Viduam & repudiatam non accipient uxores, ſed virgines, de ſemine Domûs Iſraël. *Ezec: 44.* Sed & Viduam quæ fuerit vidua à Sacerdote accipient.

Deus Moyſi non præceperat in præparando ad receptionem legis, nè appropinquarent uxoribus ſuis, & tamen Moyſes inhibuit eis, dicens. *Exod: 19.* Eſtote paratiin diem tertium, & nè appropinquatis uxoribus veſtris.

Dixit Abimelech ad David: *1. Reg: 21.* Non habeo laicos panes ad manum, ſed tantum panem ſanctum. Si mundi ſunt pueri, maxime à mulieribus, manducent.

1. Cor. 7. Volo autem vos ſine ſolicitudine eſſe, qui ſine uxore eſt, ſolicitus eſt quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo, qui autem cum uxore eſt, ſolicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori, & diviſus eſt, & mulier innupta, & virgo cogitat quæ Domini ſunt, ut ſit ſancta corpore & ſpiritu.

1. Cor: 7. Paulus monet conjugatos, ut aliquãto tempore abſtineant ab uſu conjuga-

jugali, ut comodiùs vacent orationi, at Sacerdotes perpetuò debent aſtare altaribus: perpetuò itaq; abſtineant à conjugio.

Ca: apoſtolo: 17. Si quis poſt baptiſma ſecundis nuptijs fuerit copulatus, aut concubinam habuerit, non poteſt eſſe nec Epiſcopus, nec Presbyter, aut Diaconus, aut prorſus ex numero eorum, qui miniſterio ſacro deſerviunt.

Concilium Carthag. Placeat ut Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant pudicitiæ cuſtodes, ab uxoribus ſe abſtineant. *In tit: 3.* dicitur ut quod Apoſtoli docuerunt, & ipſa ſervavit antiqvitas, nos quoque cuſtodiamus.

Cæſarienſe. Presbyter, qui uxorem duxerit, ab ordine ſuo illum deponi debere ſtatuimus, quodſi fornicarius fuerit, vel adulterium commiſerit, extra Eccleſiam abjiciatur, & pœnitentiam agat. Presbyter ſi uxorem duxerit, ab ordine deponatur.

Hieronymus contra Vigilantium, invehitur contra Epiſcopos qui non ordinabant

nabant Diaconos, niſi prius duxiſſent, uxores nulli cœlibi credentes pudicitiam. Imò oſtendentes, quam ſanctè vivant, qui male de omnibus ſuſpicantur, & niſi repugnantes uxores viderint, &c. Chriſti Sacramenta non tribuunt. Quid facient orientis Eccleſiæ? Quid Ægypti & ſedis Apoſtolicæ? quæ aut virgines clericos accipiunt, aut continentes, aut ſi uxores habuerint, mariti eſſe deſinunt.

Calixtus Papa ſtatuit ante mille trecentos annos, Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis, & Monachis, concubinas habere, ſeu matrimonia contrahere, penitus interdicimus.

Auguſtinus in q. no: & vet: teſt: cap. ult: ad Philip: Sed forte dicatur, ſi licet & bonum eſt nubere, cur Sacerdotibus non licet uxores habere? *Chryſoſt: Homil: 21. parte 4. ad Theodorum Monachum*, improbat votariorum matrimonia. *Policarpus.* Virgines in caſta conſcientia ambulate. Ergo tunc erant perſeverantes in virginitate, ſicut Mat: Iphigeniam conſecravit. *Origenes Homil: 23. ſuper Nume:* Vi-

detur mihi,quod illius eſt offerre ſacrificium indeſinens, qui indeſinenter & perpetuæ ſe devoverit caſtitati.

Objiciunt Hæretici.

I. Sacerdotes veteris legis habebant Uxores.

II. Græci in hunc diem,& Calabri habent uxores.

III. Creſcite & multiplicamini.*Gen*:2.

IV. Paulus prædixit venturos attendentes ſpiritibus errori, qui prohibent nubere. *2. Tim*: 4.

V. PræcepitTito,ut diligat unius uxoris virum Epiſcopum. *Tit*: 3.

VI. Caſtitas eſt libera, traditiones faciunt neceſſariam.

VII. Melius eſt nubere quàm uri.

VIII. Votum de Virginitate eſt ſtultum, quia impoſſibile : *1.Cor*: 7. & Papa humanis traditionibus vult mortificare carnem, ubi deberet recurri ad gratiam Dei.

IX. Si acceperis uxorem non peccaſti.

In his eſt radix eorum quæ Ionas ille impurus

purus contra Fabrum nostrum effutivit.

Respondet Christianus.

De I. Primum diluit Ambrosius super Epistolas ad Timoth: Veteribus idcirco hoc concessum est Levitis & Sacerdotibus uxores ad usum habere, quia multum tempus otio vacabant à ministerio & sacerdotio, multitudo enim erat Sacerdotum, & unusquisq; certo tempore serviebat secundùm institutum David, *1. Par. 21.* qui 24. Classes constituit Sacerdotum. *Infra*: Nunc autem omnes à conventu fœminæ abstinere debent, quia necesse est eos quotidie in Ecclesia præsto esse, nec habere dilationem. Et quia soli de Tribu Levi ministrabant: Ideò ut conservarentur per propagationem, non poterant servare perpetuam castitatem, alioqvi defecissent Ministri templi. Porrò aliquot diebus abstinebant sacrificaturi in veteri testamento. Et factum est, ut implerentur dies officij ejus, abijt in domum suam. *Luc. 1.* Et Sacerdotes veteris testamenti tractabant panes propositio-

nis, carnes hircorum, bovum, agnorum, &c. nostri Sacerdotes, Corpus & Sangvinem Christi tractant.

De II. Græci habent uxores, at nullus Sacerdos apud Græcos ducit Uxorem, sed bene qui duxit uxorem virginem ordinatur in Sacerdotem Quod si Uxor moriatur, remanebit Viduus. Conjugatus itaq; efficitur Sacerdos, sed Sacerdos nunquam efficitur conjugatus Unde à morte Salvatoris non est auditum, Sacerdotem duxisse Uxorem, nisi quod jam temerè attentant audaculi Lutherani.

De III. Præcepit hoc Deus quando erat replenda terra: at modo Cœlum. tunc erant pauci prolificantes, jam innumeri. Unde Lex illa non est de permanentibus, quoad singulos de multitudine, alioquin Joan: Baptista peccasset, qui virgo permansit, peccasset Maria, quæ virginitatem proposuit, peccasset Paulus, qui consuluit virginitatem, Christus non laudasset Eunuchos.

Unde Præceptum illud etiam confirmatum à Salvatore. *Matth*: 19. Quod De-
us

us conjunxit, homo non ſeparet: datum eſt toti multitudini hominum, non autem cuilibet de multitudine, ſicut etiam præceptum de agricultura. Non enim oportet ſingulos homines, aliqvos tamen neceſſe eſt eſſe agricolas. Ita etiam non oportet omnes & ſingulos homines vacare generationi, neceſſe tamen eſt aliquos hominum propagationi operam dare. Ita eſt de multis alijs neceſſarijs quidem toti communitati. Non tamen oportet illam per omnes & ſingulos fieri, ſed ſufficit quod per aliquos fiant.

De IV. Eccleſia non prohibet nuptias, ſed quando aliqui ſunt voto alligati, prohibet votum violari, nam ante votum liberum erat nubere, ſicut conjugatus eſt prohibitus contrahere, ſi Eccleſia non vult voventem tradere poteſtatem ſui corporis alteri, quod tradidit Chriſto. Tales autem hæretici, quos prædixit Paulus, fuerunt Marcion, & Mantes, & Tacianus, qui damnaverunt nuptias.

De V. Paulus non præcipit Epiſcopum eſſe conjugatum, alioquin nec ipſe,

nec Titus fuissent Episcopi, sed noluit Episcopum esse bigamum, *ita Hieronymus & alij.* Hinc bigamum non admittit Ecclesia hic edocta à Paulo. Et ita hic modum descripsit Paulus, intra quem se contineat Episcopus, ne ducat secundum Uxorem.

Unde quamvis is qui multas habuerit Concubinas, ordinetur in Sacerdotem vel Episcopum, non tamen qui plures legitimas habuit Uxores. Cujus ratio est, quia hæc institutio est non propter repræsentationem Sacramenti. Sponsus enim Ecclesiæ (quem Sacerdos repræsentat) est Christus, & una est Ecclesia. *Canticorum 3.* Una est Columba mea. Et ideo bigamum Ecclesia non admittit. *Hæc Augustinus in sen: lib. de bono conjugali.*

De VI. Castitas est libera, sed præcepta voventi, nec tamen repugnat libertati Spiritus, sed promovet, nam etiam Deus libere producit Spiritum Sanctum & necessario.

De VII. Melius est nubere quàm uri, sed bonum est homini mulierem non tange-

tangere. Non vult Apoſtolus illum uri, qui à carne tentatur, ſed ille uritur, qui à concupiſcentiæ flam̃is ſuperatur, huic melius eſſet nubere, quam perpetuò in ſordibus volutari, dic contrarium, & Paulum facies nubentem, quia patiebatur stimulum. *2. Cor: 12.*

Fateor difficile eſſe continere, at Regnum Cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. *Matt: 11.* Tentamur omnes à carne, at fidelis eſt Deus, qui non patitur nos tentari ſupra id quod poſſumus, ſed facit cum tentatione proventum, ut poſſimus ſuſtinere.

De VIII. Dicis votum illud eſſe impoſſibile. Si reſpicis ad naturam, etiam multa alia ſunt impoſſibilia nobis; ſi reſpicis gratiam Dei adjutricem, nihil eſt impoſſibile, quia poſſunt capere, quibus hoc datum eſt. Ideo Sapiens ait: *Sap. 8.* Scio quoniam aliter non poſſum eſſe continens, niſi Deus det, & hoc ipſum erat Sapientia, ſcire cujus eſſet hoc donum. Novum genus vincendi tentationes carnis, adfert nobis hæreticus, ut ſcil: deſide-

rijs carnis obediamus, contra totam Scripturam.

De IX. Respondet Hieron: Paulum non loqui de Virgine quæ se semel Dei cultui dedicavit, sed de ea quæ est libera. *Lib: I. contra Iovinianum.*

DE CARDINALIBUS & LEGATIS SEDIS APOSTOLICÆ.
XX.

CHristus associavit sibi XII. Apostolos, LXXII. Discipulos, *Mar:10. Lucæ 10.* illos mittebat ubi opus erat.

Et fecit ut essent XII. cum illo, & ut mitteret eos prædicare. *Mar. 6.*

Post hæc designavit Dominus & alios LXXII, & misit illos binos ante faciem suam in omnem Civitatem. *Lucæ 10.*

Sic Papa sibi adhibet Assistentes Cardinales, & forte prius in re Discipuli fuerunt Cardinales, quàm Apostoli. *Bernardus ad Eugenium*: Hi quoque tibi continuo assistunt, Seniores populi, Orbis Judices, Collaterales, Coadjutores.

Isidorus testatur S. Petrum in Urbe Roma

ma delegiſſe ſibi Aſſiſtentes, Sacerdotes, & Diaconos. In ſui enim adjutorium aſſumpſit Linum, Cletum & Clementem. Linus creſcente Eccleſia, Presbyteros X. & Epiſcopos XI. conſecravit, ſic Cletus, ſic Clemens, ſic Anacletus fecerunt. *Evariſtus* primus titulos, id eſt, Eccleſia cum plebibus, in Urbe Roma Presbyteris diviſit, ſeptem Diaconos inſtituit, qui Romanum Pontificem obſervarent. Marcellus aucto jam numero titulos 3. & 20. in Urbe conſtituit, ut baptiſmo & ſepulturæ oportune proſpicerent. In primitiva Eccleſia non dicebantur niſi Presbyteri & Diaconi Urbis Romæ, tamen poſtea inditum fuit eis nomen Cardinalium, ut aliquæ Hiſtoriæ volunt ſub Pontiano Papa, aliquæ ſub Marcello, aliquæ ſub Silveſtro, aliquæ adhuc recentius nomen exiſtimant. Hinc ſolent Beatum Hieronymum Presbyterum urbis Romæ appellare, non Cardinalem: licet Donatio Conſtantini indicet antiqvius fuiſſe Cardinalium nomen, tamen rejici non poteſt, quin Stephanus Papa nomine illo uſus ſit,

ſit, quando conſtituit nullum eligi Pontificem, niſi ex Cardinalibus. *Diſt.78.cap. Oportebat.* Invenio autem tempore Simachi Papæ & Gregorij ſecundi LXIV. fuiſſe titulos in Urbe Roma, puta Laurentij, Ceciliæ, Sixti, Marcelli, Suſannæ, Anaſtaſiæ, Mariæ trans Tyberim, Joannis & Pauli, &c. Ad Concilium Nicænum Silveſter miſit Oſium Cordubenſem Epiſcopum, Victorem, & Vincentium Presbyteros Urbis Romæ. Ad Africanum Concilium in quo fuit Auguſtinus, miſit Zozimus Papa Fauſtinum Epiſcopum, Potentianum, Philippum & Aſellum, Presbyteros Urbis Romæ. In cauſſa appellationis ſuper depoſitione Epiſcopi decrevit Concilium Nicænum, Papam, committere cauſſam Epiſcopis vicinis, aut è latere ſuo Presbyterum mittat. Ecce *Legatos à latere* tempore Concilij Nicæni, ante M.CC. annos. Silveſter miſit ad Concilium Arelatenſe Claudium & Habitum Presbyteros, Eugenium & Quinatum, Diaconos Eccleſiæ Romanæ.

Tempore Martyrum ſolebant legatos appel-

appellare *Apochrisarios*, ſicut S. Fabianus Papa & S. Zepherinus miſerunt Apochriſarios ſuos in Orientem. Leo Papa miſit ad Concilium Calcedonenſe Paſchaſium & Lucenſem Epiſcopos, & Bonifacium Presbyterum Romanæ Eccleſiæ. Sub Agathone Papa legati ad VI. Synodum fuerunt Theodorus & Gregorius Presbyteri, Joannes Diaconus.

In VII. Synodo legati fuerunt Petrus, Petrus Presbyteri, & Abbas Monaſterij S. Sabinæ. In VIII. Synodo miſſi ſunt Donatus Hoſtienſis, Stephanus Epeſinus, Epiſcopi, Marinus Diaconus Eccleſiæ Romanæ, & Anaſtaſius famoſiſſimus Bibliothecarius. Miſſi fuerant à Leone ad ſecundam Synodum Epheſinam, Julius Epiſcopus, Hilarius Diaconus, & Dulcitius Prothonotarius, licet non voluerunt adire Synodum, intelligentes dolos Dioſcori.

In Sardicenſi Concilio miſſus fuit Oſius Cordubenſis (idem qui in Concilio Nicæno) cum Fortunatiano Aquilegienſi & Vincentio de Capua. In Concilio Franckfordenſi ad Menum, legati Sedis Apo-

Apostolicæ præsidentes, fuerunt Theophylactus & Stephanus Episcopi, quando hæresis Feliciana fuit damnata, quæ usum imaginum in Ecclesia prohibebat. *Fusius ista reperies in Libro nostro, de Primatu Petri, lib. 3. Cap. 19.*

DE EXCOMMUNICATIONIBUS.
XXI.

POtestatem excommunicandi instituit Christus, loqvens de fraterna correctione. post alia inqvit; Dic Ecclesiæ, si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. *Matt. 18.*

Patet hic manifestè excommunicationem fieri authoritate Christi, maximè ex his quæ subjungit, dicens; Amen dico vobis, quæcunq; alligaveritis super terram (Glofs: I. vinculo anathematis) erunt ligata & in Cœlo. *Ubi dicit Chrisost:* Vide qualiter duplicibus colligavit necessitatibus, & pœna quæ hic est, scilicet, projectione ab Ecclesia. Sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus, & supplicio futuro, quod est esse ligatum in Cœlo,

Auguſtinus ſuper Ioan: habetur 11.q. 4.C. Nihil debet formidàre Chriſtianus, quam ſeparari à Corpore Chriſti. Si enim ſeparatur à Corpore Chriſti, non eſt membrum ejus. Si non eſt membrum ejus, non vegetatur ſpiritu ejus. Quisquis autem (*inquit Apoſtolus Rom:8.*) ſpiritum Dei non habet, hic non eſt ejus.

Hieronymus habetur ibidem. Quorum remiſeritis peccata, &c. retẽta erunt, id eſt, quibus interdixeritis Eccleſiam, niſi, reconciliati per ſatisfactionem fuerint, & ipſis janua Regni Cœleſtis clauſa erit.

1. Cor: 5. Ego quidem abſens corpore, præſens autem ſpiritu, jam judicavi ut præſens, eum qui ſic operatus eſt in Nomine Domini Jeſu Chriſti, congregatis vobis & meo ſpiritu, cum virtute Domini Jeſu, tradere hujuſmodi ſatanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini noſtri Jeſu Chriſti.

Ubi ſcito, quod in primitiva Eccleſia quando oportebat per ſigna homines ad fidem invitare, ſicut ſpiritûs ſancti donũ viſibili ſigno manifeſtabatur, ita & ex-

com-

comunicatio corporali vexatione à diabolo innotefcebat. *Auguftinus de verbis Apoftoli fermo 68.* Omnis Chriftianus dilectiffimi, qui à Sacerdotibus excommunicatur, fatanæ traditur. Quomodo? quia fcilicet extra Ecclefiam diabolus eft, ficut in Ecclefia Chriftus, ac per hoc quafi diabolo traditur qui ab ecclefiaftica communione removetur. Unde illos quos tunc Apoftolus fatanæ effe traditos prædicat excommunicatos à fe effe demonftrat.

Vide quàm mala fit excomunicatio: quia in Parafceve Ecclefia pro Judæis & Paganis orat, fed non pro excommunicatis.

1. Tim: 1. Quidam circa fidem naufragaverunt, ex quibus eft Hymenæus & Alexander, quos tradidi Satanæ, ut difcant non blafphemare.

Hujus poteftatis meminit Paulus: *1. Cor: 4.* In virga veniam ad vos, an in charitate & fpiritu manfvetudinis?

2. Cor: 13. Ideo hæc abfens fcribo, ut non præfens durius agam fecundùm poteſta-

testatem quam Dominus dedit mihi in ædificationem, & non in destructionem.

1. Cor: 16. Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema. marathana, i. in adventu Domini.

2. Thesal: 3, Quod si quis non obedierit verbo nostro per Epistolam, hunc notate, & non commisceamini cum illo ut confundatur. *Actor: 5.* Petrus Ananiam & Saphiram pro defraudatione pretij agri non solùm excommunicavit, sed sententiâ mortis damnavit. Ex quo patet, quod Ecclesiæ licet pro temporalibus damnis excommunicare.

Augustinus in Quæst: 39 Vet: Test. super Deuter: Hoc jam in Ecclesia Dei agit excommunicatio, quod in veteri lege fuisse legitur interfectio.

Orige: Non solùm per Apostolos suos Deus tradidit delinquentes in manus inimicorum, sed & per eos qui Ecclesiæ præsident, & potestatem habent non solùm solvendi, sed & ligandi, tradunt peccatores in interitum carnis, cum pro delictis suis à Corpore Christi separantur. *Iudicum*

Ho-

Homil:2. Prosequitur postea, quomodo homines dupliciter traduntur in potestatem diaboli.

Ambrosius Serm: 8. super Psal: 118. loquens de excommunicatione, subdit: Recte ergo & Sacerdos vulnus, nè latiùs serpat, à toto corpore Ecclesiæ, quasi bonus medicus debet abscindere, & prodere virus criminis quod latet.

2. Ioan: cap: unico. Si quis venit ad vos & hanc doctrinam non affert, ne recipiatis eum in domum, nec ave ei dixeritis: qui enim dicit illi ave, communicat operibus ejus malignis.

1. Cor: 5. Scripsi vobis, non commisceri fornicarijs, avaris aut rapacibus, aut idolis servientibus. *Infra:* cum ejusmodi nec cibum sumere. Ecce excomunicatio.

Tit: 3. Hæreticum hominem post unam & secundam monitionem devita. Hic habes Hæreticos fore excommunicatos.

Objicit Hæreticus.

I. Excommunicatio non est pœna, sed una declaratio, quia quilibet per peccatum

tum excommunicat ſeipſum, & poſtea Judex declarat illum eſſe excommunicatum.

II. Excommunicatio eſt medicinalis, *lib: 6. de ſent: excommun: Cap:* Cùm medicinalis. Ideò non eſt timenda, ſed amanda.

Reſpondet Catholicus.

De I. Et excommunicatio eſt pœna inflicta, vel à jure, vel ab homine, & non ſolùm declaratio pœnæ, nam clare Beatus Paulus indicat Corinthium non traditum diabolo, ſed tradendum. Porrò quod inquit, quemlibet per peccatum ſeipſum excommunicare, verum eſt excommunicatione minori, ſed illa licet privet hominem gratia Divìna, tamen adhuc manet peccator unitus Eccleſiæ, & myſtico corpori Eccleſiæ conjunctus tanquam membrum aridum: At in Excommunicatione majori præſcinditur de corpore. Non quòd omnino non ſit de Eccleſia, quia quandiu tenet veram fidē, eſt in Eccleſia, ſed quia privatur participatione Suffragiorum Eccleſiæ, quod competit

petit homini, vel ex vi charitatis, vel ex intentione Ecclesiæ, generaliter volentis sua merita omnibus membris non præcisis convenire.

Et illius geminæ excommunicationis meminit *Origenes in illa Homilia secunda Iudicum.* Præterea si etiam per peccatum quis se traderet diabolo, tamen per sententiam ab homine, vel à jure latam, diabolus adhuc majorem in eo accipit potestatem, liquet de Juda, quem primo invasit diabolus qvum jam cogitasset tradere Christum. Intravit autem satanas in Judam (*ait Lucas 22.*) & abijt, & loqvutus est cum Principibus Sacerdotũ, &c. *Et Ioannes ait 14.* Cùm Diabolus misisset in Cor, ut traderet eum Judas Simonis Iscariotes, &c. tamen postea adhuc magis intravit & possedit Diabolus, eodẽ Joanne dicente: Et cùm intinxisset Panem dedit Judæ Simonis Iscarioth, & post buccellam introïvit in eum satanas.

De II. Excommunicatio est medicinalis, verum si non contemnatur, nam ex fine dicitur medicinalis, quia ordinatur

in

in hunc finem, quod ille resipiscat & pœniteat ac satisfaciat Ecclesiæ: Nullus autem amabit excommunicationem, nisi qui obstinatus magis vult tradi satanæ, quam servire Christo, & ab Ecclesia vult haberi sicut Ethnicus & Publicanus. Unde Gregorius dicit: Sententia Pastoris sive justa sive injusta, timenda est. Tantum abest, ut sit amanda.

DE IMMUNITATE & DIVITIIS ECCLESIARUM. XXII.

IMmunitas & ecclesiastica libertas ostenditur. Pharao gentilis Rex Ægypti immunitatem Sacerdotibus servavit. *Gen*: 47. Emit enim Joseph omnem terram Ægypti, subjecitq; eam Pharaoni, & cunctos Populos ejus, præter terram Sacerdotum quæ à Rege eis tradita fuerat, quibus & statuta cibaria ex horreis publicis præbebantur. Et idcirco non sunt compulsi vendere Possessiones suas. *Et infra*: Ex eo tempore usque in præsentem diem in universa terra Ægypti

gypti Regibus quinta pars solvitur, & factum est quasi in legem absque terra Sacerdotali, quæ libera ab hac conditione fuit.

Duo Exempla. *1. Esdr: 7.* Artaxerxes Rex Persarum donans Filijs Israël facultatem libere redeundi cum Esdra in Hierusalem, pro Sacerdotum Ministrorúmq; Templi libertate Decretum statuit in hæc verba: Ego Artaxerxes Rex, statui atq; decrevi omnibus custodibus arcis publicæ qui sunt trans flumen, ut quodcunq; petierit à vobis Esdras scriba Legis Dei Cœli, absq; mora detis, &c. *Et infra*: Vobis quoque notum facimus de universis Sacerdotibus, & Levitis, & Cantoribus, & Janitoribus nathinneis, & Ministris Domûs Dei hujus, ut vectigal & tributum & annonas non habeatis potestatem imponendi super eos. Ubi gloss: ordi: quæ est Bedæ. Hoc Privilegio ostenditur, quòd cætera Plebs filiorum Israël ad Patriam perveniens, tributa Regis pendebat, quod discreta provisione Rex fecisse cognoscitur, ut qui Divino servitio semper

per erant occupati, à suo famulatu essent liberi, & qui in terra nihil proprium possidebant, sed ex decimis populi vivebant, nemo ex eis tributum exigeret. Ecce hi duo Reges ambo gentiles, alter pro idolorum Sacerdotum; alter verò Judæorum Sacerdotum legaliùmque ministrorum zelabant libertate: & modo nonnulli Christiani Principes, Civitatúmque Rectores, gravant, exactionant, & excoriant Christi Sacerdotes, pauperésq; verbi Dei ministros, atq; in extremam dejicere moliuntur servitutem.

Josue divisit Sacerdotibus & Levitis Civitates, sicut jusserat Dominus per Moysen. *Iosue 21. Num: 35.*

Item habebant Sacerdotes & Levitæ decimas, primogenita, primitias, partes de victimis, oblationibus & sacrificijs, ordinante & præcipiente Deo, pro ministerio quo sibi in tabernaculo testimonij serviebant quotidie. *Levit 27. Num.18.*

Dixit Joas ad Sacerdotes: *4. Regum 12.* Omnem pecuniam Sanctorum quæ illata fuerat in templum Domini à præter-

eunti-

euntibus,quæ offertur pro pretio animæ, & quam sponte ex arbitrio cordis sui inferunt in templum Domini, accipiant illam Sacerdotes juxta ordinem suum. *2. Paral.12.* Ezechias præcepit Populo habitantium Hierusalem, ut darent partes Sacerdotibus & Levitis,ut possent vacare Legi Domini. Quod & Populus fecit adeò abundanter,ut præciperet Rex fieri horrea in Domo Domini ubi reciperentur fructus, &c.

Ioan.13. Christus habuit procuratorem Judam, qui loculos habebat, & portabat ea quæ mittebantur.

Lucæ 8. Joanna Uxor Chusæ Procuratoris Herodis, & Susanna, & aliæ multæ, quæ ministrabant ei de facultatibus suis.

Immunitatem Sacerdotum docuit Christus. *Math. 17.* Quid tibi videtur Simon, dixit Christus, Reges terræ à quibus accipiunt tributa, à filijs suis, an ab alienis? Dixit illi Petrus: Ab alienis. Dixit illi Christus, ergo liberi sunt filij.

1. Cor. 9. Quis militat suis stipendijs unquam, quis plantat vineam & de fructibus

ctibus ejus non edit? *Infra:* Scriptum est in lege Moysi: Non alligabis os bovi trituranti. *Infra:* Si nos vobis spiritualia seminamus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus? *Infra:* Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt? Et qui Altario deserviunt, cum Altario participant. Ita & Dominus ordinavit his qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.

1. Tim: 3. Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, ornatum, prudentem, pudicum, hospitalem, &c. Et quomodo posset esse hospitalis si nihil haberet?

Act: 4. Quotquot enim possessores Agrorum aut Domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum. Unde in primitiva Ecclesia fiebant collectæ pro sustentatione Cleri, quibus deficientibus successerunt beneficia.

Ignatius, Ioann: Evang: Discipulus ad Philadelphien: Principes subditi estote Cæsari, Milites Principibus, Diaconi Presbyte-

 ris,

ris, ut ſacrorum Adminiſtratoribus. Presbyteri verò & Diaconi, atque omnis Clerus ſimul cum omni Populo & Militibus atque Principibus, ſed & Cæſares obediant Epiſcopo. Epiſcopus autem Chriſto, ſicut Patri Chriſtus; & ita unitas per omnia ſervatur. *Idem ad Smirnenſes*. Sacerdotium ſumma eſt omnium bonorũ, quæ in hominibus conſtant, quod ſi quis inhonoraverit, Deum inhonorat, & primogenitum totius creaturæ.

Pſal: 104. Nolite tangere Chriſtos meos, & in Prophetis meis nolite malignari.

1. *Reg:* 26. Quis extendet manum ſuam in Chriſtum Domini. Hoc dixit etiã de unctione Regis, quid de unctione Sacerdotis.

Gregorius Cyriaco Conſtantinopolitano. Quisquis in loco regiminis eſt, aliquando neceſſe habet etiam terrena cogitare, & exteriorum quoque curam gerere, ut Grex commiſſus valeat, ad ea quæ ſibi ſunt explenda, ſubſiſtere. A Paſtoribus Lex crevit in Regalem Majeſtatem. A Piſcatoribus Evangelium crevit in Imperialem Majeſtatem.

Et

Et in Registro Gregorij passim reperiuntur Epistolæ de administratione temporalium, unde etiam illo tempore habuit Præfectos Ærarios in Sicilia & Provincia, ut manifestum sit etiam tempore Gregorij fuisse Patrimonium S. Petri.

In Epistola Clementis. Si qui ex Patribus negotia habent inter se, apud cognitores seculi non judicentur, sed apud Presbyteros Ecclesiæ, quicquid est dirimatur, & omnino obediant statutis eorum.

Concilium Carthaginense. Placuit, ut quicunque Clericus ab Imperatore cognitionem publicorum petierit, honore proprio privetur.

Cajus Papa Martyr statuit. Nè laici, sacris initiatos, coram seculari Judice conveniant.

Dionysius ad Demophilum, de correptione Episcopi. At si quis fortè & inter ipsos à recto tramite deviaverit, is ab æqualibus, atque sui ordinis sanctis corrigatur, ut non ordo in ordinem ruens cuncta permisceat, sed unusquisque in suo ordine, suóque officio maneat.

Origenes Homilia 20. Qui tempore Martyrum vixit, ubi adhuc erant Imperatores gentiles, super Lucam explicat subjectionem Presbyteri ad Episcopum, sicut Jesus fuit subditus Parentibus.

Julianus Apostata, Christi adversarius, Clericis subtraxit omnia Privilegia & honores. Quæ pijssimi Imperatores Catholici, Constantinus, Theodosius, Marcianus, Valentinianus, & alij religiosi animi Principes decreverunt. Quæ quia sunt omnibus obvia C. de Sacro-Sanctis Ecclesijs & de Clericis & Episcopis. Ideò referre postponimus.

23. q. 8. Cap: Tributum, & C. secundùm Canon: Constantinus Imperator in Concilio Nicæno noluit accipere libellos contra Episcopos, & dixit: Vos Dij estis, à vero Deo constituti, ite & inter vos caussam disponite, quia dignum non est, ut nos judicemus Deos.

Petrus Princeps Apostolorum non refutavit sumptus. *Ambrosius super I. ad Corinth: 9.*

Constitutio Friderici Imperatoris C. de Episco-

piſcopis & Clericis. Statuimus, ut nullus eccleſiaſticam Perſonã in criminali quæſtione vel civili, trahere ad judicium ſeculare præſumat, contra Conſtitutiones Imperiales & Canonicas ſanctiones, quod ſi fecerit Actor, à Jure ſuo cadat, judicatum non teneat, & Judex ſic & tunc Officio judicandi ſit privatus. *Advertite inique Clerum ad Tribunal ſeculare pellentes.*

Patet igitur ex præmiſſis juſtiſſimas eſſe Excommunicationes latas in offendentes libertatem Eccleſiaſticam, ſuis iniquis ſtatutis gravantes & exactionantes Clerum, utpote in eos qui peccant & contra naturæ jus, in Legem Divinam utriúſq; Teſtamenti, & contra jus humanum, civile & canonicum.

Objicit Hæreticus.

Chriſtus paſſus eſt ſe judicari à Judice laico Pilato, & teſtimonium perhibuit ei, quia haberet ſuper eum poteſtatem deſuper. Itaque Chriſtiani Sacerdotes non debent refugere Judices laicos.

Respondet Catholicus.

Egregiam rem moliris, ut omnes Judices Christiani sint Pilati & Herodes, Christus manifeste objecit peccatum Pilato, quia is qui tradiderat eum, majus peccatum habebat. *Ioan: 19.* Quod autem dixit Pilatum habere potestatem desuper; si ad Deum referatur, accipitur permissive, permisit Deus hoc Pilato. *Esai:53.* Oblatus enim quia voluit; si ad Cæsarem non habet intentum hæreticus.

DE INDULGENTIJS. XXIII.

Quia Indulgentiæ sunt duntaxat satisfactoriæ pœnæ pro peccatis debitæ, ostendamus aliud esse meritum, aliud satisfactionem.

DE merito Christi dicitur: *Philipen: 2.* Propter hoc Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen. Ecce quid meruit sibi. De satisfactione ejus dicitur: *Luc.22. Matt.26.* Hic est Calix novum testamentum in sangvine meo, qui pro vobis tradetur

in remissionem peccatorum. Ecce quid meruit nobis.

De offerente hostias pro peccatis, dicitur: *Levit. 4.* Et rogante pro eis Sacerdote, propitius erit ei Dominus. Non de culpa, sed de pœna, quomodo? nisi per intercessionem,

Colos. 1. Nunc enim gaudeo in passionibus meis pro vobis, & adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore ejus quod est Ecclesia.

Expende Catholice, quia miseriæ Sanctorum adjungendæ sunt pressuris Christi, ad communem Ecclesiæ utilitatem. Et est iste thesaurus meritorum, de quo dicit Ecclesia, precibus & meritis Sanctorum. Nam quod Paulus adimplevit, quis negabit de alijs Sanctis, Crucem Christi portantibus & eum seqventibus? Quod Papa hunc thesaurum dispensat, patet ex Apost: dicente: *1. Cor. 4.* Sic nos existimet homo ut Ministros Christi, & Dispensatores ministeriorum ejus. Iterũ: *1. Cor: 9.* Dispensatio mihi credita est. Itẽ. *1. Cor. 2.* Cui donastis aliquid, & ego. Non

donavit culpam, ſed pœnam. Nam & ego quod donavi, ſi quid donavi, propter vos in perſona Chriſti.

Certum eſt Gregorium Magnum dediſſe Indulgentias ante 900. Annos, & ita póſtea obſervatum per omnem Eccleſiam: Mirantur hæretici, quia Papa remittit tertiam aut mediam partem pœnarum, aut plenarie indulgeat. Cum ipſi non verecundentur aſſerere, quemlibet Sacerdotem à culpa & pœna abſolvere, ipſi remittunt totam pœnam, & nolunt Papam remittere partem.

Indulgentiarum Evangelij figura fuerunt Jubilæi in veteri teſtamento. *Lev. 23.*

De his ſumus contenti, eò quòd habeamus ſolidum fundamentum in Sancto Paulo, ne credamur diligentiores in cauſa lucroſa. Porrò quod univerſa recepit, credit & tenuit Eccleſia, quomodo poſſet eſſe in fide erroneum? at univerſitas Eccleſiæ toto Orbe terrarum diffuſa, recepit Indulgentias à tempore Gregorij Magni (niſi quod in paucis hæreticorum angulis alicubi, incæperunt rejicere.) Et

Et Concilia generalia approbaverunt, ſicut ſacrum Concilium Lateranenſe celeberrimum ſub Innocentio tertio, in quo & ſaluberrima conſtitutio, omnis utriúſque, ædita eſt, & limitavit authoritatem minorum Prælatorum in conceſſione indulgentiarum. Et ſacrum Concilium Viennenſe approbavit Indulgentias Urbani IV. pro Venerabilis Euchariſtiæ veneratione.

Et omnis Eccleſia ex Germanis, Gallis, Hiſpanis, Italis, Anglis, Hungaris, Polonis, Dacis, Scotis, &c. reverenter ſuſcepit Jubilæos in Roma à Pontificibus cum plenarijs Indulgentijs celebratos.

DE PURGATORIO. XXIV.

Purgatorium eſſe, ſatis conſtat ex Scriptura, Eccleſia, & Patribus.

SI quis ſuperædificat ſuper fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretioſos, ligna, ſtipulam, uniuſcujusq; opus manifeſtum erit, dies enim Domini declarabit, *1. Cor: 3.*

 qui

qui in igne revelabitur, & uniuscujusq; opus quale sit, ignis probabit. Si cujus opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit, sic quasi per ignem. Liquet facientem etiam opera cremabilia, sicut patet in die judicij particularis uniuscujusque, eum tamen salvum fieri per ignem, non inferni, quia ibi nulla est redemptio. *Sic intellexerunt illum locum Pauli; B. Ambrosius, B. Hieronymus, B. Augustinus, B. Gregorius, Altuinus.*

Matt: 9. Esto consentiens adversario tuo cito, dum es in via cum eo, nè fortè tradat te adversarius Judici, & Judex tradat te ministro, & in carcerem mittaris, amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem. *Luc:* 12. *Hunc carcerem B. Ambrosius intelligit Purgatorium.*

Math: 12. Qui dixerit verbum contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro.

Beatus Gregorius illa verba ponderat & dicit: *4. Dial: & habetur di: 85. Ca. qualis. Idem August: lib. 21. de Civ. Dei, cap. 24.*

De

De quibuſdam culpis ante judicium purgandis, ignis credendus eſt, pro eo quod veritas dicit, qui dixerit verbum contra Spiritum Sanctum,&c. In qua Sententia datur intelligi, quaſdam culpas in hoc ſeculo, quaſdam in futuro relaxari. *Ita etiam intellexit B. Bernardus ſuper Cantica Serm: 66.*

Luc:8. Antiqvitus provocabantur viventes per inſtrumenta Muſica ad lamẽtum & compaſſionem ſuper mortuos, ut attente orarent pro eis. Aliàs enim lugere non eſſet niſi inſanire.

Tob: 4. Panem tuum & vinum tuum ſuper ſepulturam juſti conſtitue, ut ſcil: pauperes inde refecti, pro defuncti ſalute Deum deprecentur.

1. Mach: 12. Judas Machabæus facta collatione, duodecim millia drachmas argenti miſit Hieroſolymam, offerri pro peccatis mortuorum ſacrificium. Bene & religioſe de reſurrectione cogitans, niſi enim eos, qui ceciderant reſurrecturos ſperaret, vanum videretur & ſuperfluum orare pro mortuis, &c. Sancta ergo & ſalubris

lubris est cogitatio pro defunctis orare, ut à peccatis solvantur. Is liber est in Canone Ecclesiæ, ut testatur Prologus ei præfixus, & B. Augustinus XVIII. Libro de Civit: Dei, & Canon Concilij Carthaginensis, licet non fuerit inter Canonicos Libros habitus apud Judæos, ut testatur B. Hieronymus in Galeato Prologo. Sequitur negantem libros Machabæorũ esse canonicos, non esse filium Ecclesiæ, sed spurium Synagogæ. Et Luther met fatetur esse purgatoriũ in disputatione Lipsica Item Art:37. Assertionum: Ego, *inquit*, & credo purgatoriũ esse, & consulo, svadeóque credendum, quomodo ergo rem tanti momenti, sicut est Purgatorium, Spiritus Sanctus non revelavit in Scripturis?

Græci hanc hæresim recognoverunt, & abjuraverunt in Concilio Florentino.

Philip. 2. In nomine Jesu omne genu flectetur, cœlestium, terrestrium, & infernorum. Palam est autem (quantum ad hos attinet) qui subtus terram in gehenna sunt, quod nec genua flectant nomini Jesu, quin contra potius ipsum jugiter blas-

blasphemant, *Psal:* 73. quoniam superbia eorum, qui Deum oderunt, ascendit semper, sunt ergo in Purgatorio qui genua flectunt.

Apoc: 5. Et omnem Creaturam quæ in cœlo est, & super terram, & subtus terram & mare, & quæ in eo sunt, omnes audivi dicentes: Benedictio sedenti in Throno & Agno, benedictio & honor, & gloria, & potestas, in secula seculorum. Triplicem hic ponit ordinem laudantium Deum, scilicet in Cœlo Beatorum, in terra Justorum, sub terra purgandorum, quia damnati non laudant Deum, nec benedicunt sedentem in Throno.

Augustin: in Lib: de cura pro mortuis agenda, approbat suffragia pro mortuis facienda authoritate Ecclesiæ. *Ita inquiens*: In 2. Machabæorum libro legimus, oblatum pro mortuis sacrificium: sed si nusquam in Scripturis veteribus omnino legeretur, non parva est universæ Ecclesiæ (quæ in hac consvetudine claret) authoritas, ubi in precibus Sacerdotum, quæ Domino Deo ad ejus Altare funduntur,

locum

locum suum habet etiam commendatio animarum. Hæc Suffragia petijt Monica Mater S. Augustini, ex altaris sacrificio.

Beatus Ambrosius de obitu Theodosij meminit, *Lib: 9. Confessionum in fine*, cur in Ecclesia Dei peragatur, primus, septim⁹, trigesimus Defunctorum.

Damascenus affirmat morem orandi pro defunctis, ab Apostolorum traditionibus manasse.

Augustinus Quæstione I. de Dulcitij quæstionibus testatur Purgatorium.

Chrysostomus proprio sermone agit, Suffragia prodesse mortuis.

Dionysius *Cap: 7. Eccl: Hierar:* inquit: Quod autem justorum preces etiam in vita ista, & nedum post mortem ijs solis prosint qui digni sunt, Scripturæ nos edocet Sacro-sancta traditio. Accedens deinde (delato scilicet funere intra templum) venerandus Antistes precem suam super mortuum peragit, póstq; precem & ipse Præsul eum salutat, & suo deinceps ordine, qui astant omnes. Precatur oratio illa Divinam clementiam,

ut

ut cuncta dimittat per infirmitatem humanam admissa peccata, defuncto, eúmque in luce statuat & regione vivorum, in finibus Abrahæ, Isaac, & Jacob, in loco unde effugit dolor, tristitia & gemitus. Hæc Dionysius Apostoli Pauli Discipulus. Ita docuit & tenuit S. Mater Ecclesia & omnes Orthodoxi.

Purgatorium etiam convincitur ex animarum apparitionibus, quas etsi Luther irrideat: tamen in Machabæis legimus Oniam & Hierem: apparuisse Judæ: *Mar:* 9. *Luc:*9. 24. Christo transfigurato apparuerunt Moyses & Heli, & Discipuli Christo resurgente, putabant se spiritum videre: quod nequaquam putavissent, nisi scivissent defunctorum spiritus nonnunquam apparere. *Vide Libros* 4. *Eckij de Purgatorio.*

Objicit Pighardus.

I. Christus prohibuit Viduæ. *Luca* 7. Noli flere: sed si esset Purgatorium, deflendus fuisset mortuus.

II. Hieremias 22. inquit: Nolite flere mor-

mortuum: neq; lugeatis ſuper eum fletu.

III. Paulus ait *1. Theſ. 4.* Nolumus vos ignorare Fratres de dormientibus, ut non contriſtemini ſicut & cæteri.

IV. Cyprianus ſedulo admonet Fratres, ne fleant ſuper his qui migrarunt ex hac vita.

V. Chryſoſtomus lamentari eos, qui ab hac vita decedunt ex puſillanimitate contingit.

Reſpondet Chriſtianus.

De I. Chriſtus mox erat mortuum reſuſcitaturus: ideò prohibuit Matrem à fletu. Neochriſtiani nullum ex mortuis reſuſcitant.

De II. Hieremias voluit non plangendum Regem Joachas captivum in Ægypto: ſed alios Reges ſeqventes, ſub quibus Judæi plus tribulabantur.

De III. Truncate adducitur Paulus, qui ait: ſicuti cæteri qui ſpem non habent. Itaque deflere mortuum ex deſperatione futuræ reſurrectionis eſt malum, quod non facit Eccleſia. *Cap; Ubicunque, 13. q. 2.*

De

De IV. & V. Secundùm prædicta intelligantur Cyprianus & Chrysostomus, quando aliquis defleret mortuum ex diffidentia, quasi perpetuo illum amiserit. *Vide Tomo 2. Homil: Dominicæ XVII. post Pentec.*

DE ANNATIS.
XXV.

ANnatas id appellant in Curia Romana, quod ordinarij locorum nominant, medios, seu primos fructus, & pro Confirmatione Episcopi solent appellare, redemptionem Pallij, cùm tamen propriè solus Episcopus Bambergensis in Germania habet Pallium & Archiepiscopi.

Num: 18. Filijs autem Levi dedi omnes decimas Israël in Possessionem pro ministerio, quo serviunt mihi in Tabernaculo fœderis. *Et infra:* Præcipe Levitis atque denuntia cùm acceperitis à Filijs Israël decimas quas dedi vobis, primitias earum offerte Domino, id est, decimam partem decimæ, ut reputetur vobis in oblationem primitivorum, tam de areis, quam de torcularibus, & universis quo-

rum

rum accipitis primitias offerte Domino, & date ea Aaron Sacerdoti.

In veteri igitur Teſtamento, Levitæ & Sacerdotes accipiebant decimas, & Aaron ſummus Sacerdos accipiebat decimam decimarum. Deſcendunt ergo Annatæ de jure Divino, quia ſuccedunt in locum decimæ decimarum.

Neem:10. Et Levitæ offerent decimam partem decimæ ſuæ in Domo Dei noſtri, ad Gazophilacium Domini Dei noſtri.

Annatarum meminit Joannes Andreæ in cap: Inter cætera de Offic: ordinarij poſt Hoſtieñ quem citat in hujuſmodi ſententia, dicit hic Hoſtienſis, quod Romanam Eccleſiam in annatis exigendis, ubi alioquin nullum jus haberet, excuſat neceſſitas, quia nec de ſuo poſſet omnibus providere. *Et infra*: Id jam eſt de antiquiſſima conſvetudine obtentum. Poſtea refert, quomodo pluries clamaverit in tantum quod ſuper eo fuit ſermo in Concilio Viennenſi, cui præſedit Clemens V.

Seqvitur erraſſe Platinam & Blondum, & quoſdam conſarcinatores gravaminũ Ger-

Germaniæ, nam inventum annatarum tribuunt, vel Joanni XXII. vel Bonifacio IX. vel Concilio Constantiensi, quod Germani faciunt, quia Clemens V. præcessit Joanni XXII. & Bonifacium IX. Et is tamen non invenit annatas, sed inventas approbavit ex antiqua consvetudine. Et certè isti duo testes Hostiensis, & Joannes Andreæ frangunt mendacia osorum Ecclesiastici status.

In Constantiensi Concilio non fuerunt institutæ annatæ, ut nugantur centones Lutheranorum, sed quia aliquæ Ecclesiæ decreverunt temporalibus, fuit constitutum, ut illæ Ecclesiæ sic de paupertate reducerentur âd justam taxam, secundùm valorem Ecclesiæ currentem. Ideò magis confirmavit annatas. Unde nullus adhuc publicavit verè, quando annatæ fuerunt inventæ, ideò bene dicunt præfati, annatas rem esse antiquissimam.

Gerson de Simonia 36. C. Sicut ex antiqua lege decimæ decimarum debebantur Sumo Sacerdoti à Levitis, *Num:18. Deut: 16.* Sic non minus in Lege nova debetur

hæc

hæc decimatio facienda ipsi Papæ per inferiores. Hæc autem recompensatio videtur rationabilis, quod fructus primi anni â quolibet beneficiato persolvantur: qvoniam in hoc Papa servit Ecclesiæ, & ita pro sustantatione decenti status sui potest onerare personas & beneficia Et illam rationem dicit bene inferre & concludere.

Sequitur, si Sacerdotes & Episcopi vellent negare annatas Sum̃o Pontifici, tunc eadem facilitate laici negarent decimas Sacerdotibus, & Sacerdotes recusarent medios fructus dare Episcopis, unde ex Ecclesia faceremus Babylonem. Id quod strenue contendunt hæretici, & eorum adhærentes, Divina, humanáque omnia commiscentes.

NON DISPUTANDUM CUM HÆRETICIS.

XXVI.

QUanvis de Luthero, & Lutheranis non sit dubium, quin sint hæretici damnati, & pro talibus habendi, quia

quia ipſi revocant hæreſes ſæpe damnatas, Arrij, Manichæi, Joviniani, Vigilantij, Euticetis, Felicis. Albigenſium, Waldenſium, Joannis Wikleff, Joannis Hus, & aliorum hæreticorum, ideò contra eos non eſt diſputandum.

Nam Gelaſius Papa *Ca: majores, 24. q. 1.* inquit: Majores noſtri Divinâ inſpiratione cernentes, neceſſario præcaverunt, ut quod contra unamquanq; hæreſim coacta ſemel Synodus, pro fide, communione & veritate Catholica atque Apoſtolica promulgaſſet, non ſineret novis poſthac retractationib⁹ mutilari, ne pravis occaſio præberetur, quæ medicinaliter fuerant ſtatuta pulſandi, & ea quæ ſeqvuntur.

Idem voluit Martianus Imperator, *L. Nemo, C. de ſumma Trin. & Fide Cath:* Injuriam facit judicio Reverendiſſimæ Synodi, ſi quis ſemel judicata ac rectè diſpoſita, revolvere & publice diſputare contenderit.

Unde in ſeptima actione Calcedonenſis Concilij, Martianus inter cætera dixit: (*ut habes Diſt: 96. Cap: Nos*) Nos ad fidem con-

confirmandam, non ad potentiam ostendendam, ad exemplum religiosissimi Principis, Augustissimique Rom: Imperatoris Constantini, Synodo interesse voluimus, ut veritate inventa, non ultra multitudo doctrinis pravis attractata discordet.

Praeterea Haeretici non quaerunt disputationem, nisi multis malitijs involutam. Nam plerique eorum adeò pertinaces sunt, ut libere promittant se articulos usque ad mortem defensuros, quare liquet eos esse incorrigibiles, obstinatos, & pertinaces, & quia non sint docibiles Dei, sed innitantur propriae prudentiae, & ponant obstaculum Spiritui S.

Iterum patet de Lutheranis Haereticis, quod fraudulenter obtendunt disputationem, nam quaerunt disputare non coram doctis & literatis ac in Theologia exercitatis, sed coram indoctis vulgaribus laicis, quorum capacitas se nullo modo extendit ad judicanda hujusmodi mysteria fidei.

Nam quomodo Haeretici venirent ad dispu-

diſputationem coram doctis, cùm ſciant Theologos ſtudiorum generalium Galliæ, Hiſpaniæ & Angliæ, contra eos concluſiſſe, & ſtudia generalia Germaniæ, quæ fuerunt famata in Theologia, ante ortum hujus Hæreſis, ſimiliter damnaſſe Lutherum?

Addatur his, quod in diſputando finem intendunt perverſum, ſcilicet, quod ad ſe trahant laicos. alioquin Clericis oppidò infeſtos, ut illos in odium Cleri ampliùs accendant.

Præterea articuli Lutherani ſunt hujuſmodi, ut ſi in diſputationem proponantur coram laicis, jam myſteria fidei noſtræ, authoritas Eccleſiæ, & Conciliorum ludibrio exponantur. Nam quod ſcandalum oritur non modo apud ſimplices fideles, ſed apud Judæos & Infideles, ſi audierint ea in fide noſtra in dubium vocari, quæ à ſanctis Patribus & Concilijs ante 1000. Annos, 1200. ante 1300. fuerunt conſtituta & decreta, & ab ipſo Apoſtolorum tempore obſervata, quis vel micam habens fidei vel prudentiæ, iſta poterit judi-

judicare disputanda, coram frigidis & male sentientibus laicis? Et quia dum constat de eorum conversione & pertinacia, (nolunt enim admittere alium judicem quàm Scripturam, quam volunt interpretare secundùm propria capita) clare Apostol⁹ Paulus interdixit disputandum cum his: *2. Tim: 2.* Noli verbis contendere, ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium. *Ibid:* Stultas & sine disciplina quæstiones devita, sciens quia generant lites. *Tit: 3.* Stultas autem quæstiones & contentiones, pugnas legis devita, sunt enim inutiles & vanæ.

Hierem: 17. Perdix fovit, quæ non peperit: fecit divitias, & non in judicio. *August: lib: 13 contra Faustum Cap. 12. pulchre applicat.* Perdix nimis contentiosum est animal. Ita & Hæretici sunt contentiosi. Non enim disputare amant, sed quoquo modo superare impudentissima pravicacia, ut congregent quæ non pepererunt.

Nam Christianos quos maximè Christi nomine seducunt, jam per ipsius Evangelium natos inveniunt, hos colligunt ad eo-

ad eorum insaniam. Ideò pro Proverbio usurpat Augustinus contra Hæreticos; Perdix congregat quæ non peperit. Quo fit ut si idoneus Judex detur, nunquam sit finis disputandi. Idoneum autem Judicem non recipit Hæreticus, quia proprium est hæreticorum, *ait Augustin: Lib.22. contra Faustum*, fugere disputationem. Nam semper reperiuntur temerarij, pertinaces, & protervi, qui nullam satisfactionem solutionis recipiunt. Sicut Mosi restiterunt Jamnes & Mambres, Ita Hæretici resistunt veritati, homines corrupti mente reprobi circa fidem, sed ultra non proficient. *2. Tim.3.*

Chrisostomus in Homilia Dominicæ XVIII. Audi homo fidelis, qui contra hæreticum libenter contendis. Si Pharisæi placati sunt, & tu certando contra hæreticum potes eum placare, si eum viceris Si autem Pharisæi victi quidem sunt, placati autem non sunt, quomodo tu poteris eos placare eum viceris: Nunquid Christo fortior es? ut quos ille non placavit, tu places? *Origi: homil. Mat. XXII.* proprium est Saducæorum & omnium qui

M men-

mendacij sunt doctores, obmutescere quidem, non autem tacere: nam etsi obmutescunt quantum ad rem, non tamen tacent.

Prov. 20. Catholici ergo debent vitare disputationem cum hujusſmodi, quia honor est, ait Sapiens, homini, qui separat se a contentionibus, nisi ubi idonei darentur judices, tunc enim ut manifestaretur gloria dei, tueretur veritas catholica, & hæretici perfidi confunderentur, esse omnino disputandum, sicut Stephanus disputavit *Act. 6. Paulus disputavit Act. 17. & 20.* Et ubi disputationis sententiam suscipere & pati volunt hæretici, tot adhuc sunt catholici viri, quorum unusquisq; gladium habet accinctum super femur suum, qui adoriantur hæreticos, sicut David Goliam, in nomine domini exercituum, dei agminum Israel. Et veritas sub justo judice vincet *1. Reg. 17. 3. Esd. 3.*

AUCTARII PRÆFATIO.

QUoniam novi morbi, occasionem dant novæ quærændæ medicinæ, ea pro-

propter quum alios locos ædidiſſemus communes contra Lutheranos, veriſſimum comperimus, viam & januam per Lutherum apertam omnibus quidlibet audiendi.

Suſtulit enim Luther (quantum in ipſo fuit) ſacrorum conciliorũ authoritatem, Romanorum pontificum judicium, Sanctorum & Deo amabilium patrum reſponſa, ac ſtudiorum generalium condemnationes. Ut jam unicuiq; phrenetico, vel melancholico, Saturnino, bis ſtulto cerebro, perviũ ſit omnia inſana capitis ſui phantaſmata, ſacris myſterijs immiſcere: ô DEus ô tempora. Cogimur ergo illorum impietate, quamvis inviſſimi, hos adjicere locos.

SUB EUCHARISTIA ESSE VERUM CORPUS CHRISTI XXVII.

COenantibus autem eis, accepit JESUS panem, & benedixit, ac fregit, deditq; diſcipulis ſuis, & ait: Accipite & *Mat. 26.*

 come-

comedite, hoc est corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes, hic enim sangvis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Significantissime Christus dixit, hoc est corpus meum & hic est sangvis meus, quid ergo clarissimis verbis & Christo repugnat?

Mar. 14. Manducantibus illis accepit JEsus Panem & benedicens fregit, & dedit eis, & ait: sumite, hoc est corpus meum: & accepto calice gratias agens dedit eis, & biberunt ex illo omnes, & ait illis: hic est sangvis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur.

Luc. 22. Et accepto pane gratias egit & fregit & dedit eis dicens: Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur, hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem postquam cœnavit dicens: Hic est calix novum testamentũ in sangvine meo, qui pro vobis fundetur. Ecce quanta concordia Evangelistæ indicent, corpus & sangvinem Christi tradita discipulis. *Joan. 5.*

Ioan. 6. Panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita. Christus dicit panem quem daturus sit esse carnem, hæretici negant.

1. Cor. 11. Ego accepi à domino quod & tradidi vobis, quoniam dominus JESUS in qua nocte tradebatur, accepit panem & gratias agens fregit & dixit: Accipite & manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem postquam cœnavit dicens: hic càlix novum testamentum est in meo sangvine. *Ecce quomodo Paulus expresse dicit oblatum discipulis fuisse corpus & sangvinem Christi.*

1. Cor. 10. Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sangvinis Christi est? Et panis quem frangimus, nonne participatio corporis domini est? quoniam unus panis & unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane & uno calice participamus. Hic clare Paulus ostendit in qualibet particula panis consecrati, participari corpus Christi.

 sti.

sti. Lapideus est qui hæc aliò torqet quod ad corpus Christi.

1. Cor. 11. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat & de calice bibat, qui enim manducat & bibit indigne, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus domini. Clare liquet quòd propter præsentiam corporis Christi, peccatum ab indigne sumente pertinet ad corpus Christi, nemo enim, nisi insanus, negat indigne manducantem eius reum esse quod manducat. Instruit enim hic Paulus Corinthios ne credant esse simplicem cibum in altari, sed corpus Christi, quod qui indigne manducet reus sit eius, ideo signatissime addidit, Non dijudicans corpus domini, id est, non discernens ab alijs cibis. Hoc omnium ætatum omnes sancti patres in ecclesia tenuerunt, unde contra tot clarissimos sacræ scripturæ textus desipere, extremæ temeritatis est, & aliorum hæreticorum insaniam transcendit, Hanc hæresim aliquando docuerat Berengarius Sancti Mauritij Andegavensis Ecclesiæ Diaconus, sed Romæ coram Nicolao Pa-

pa &

pa & tredecim Arhi-Episcopis & Centum Episcopis abjuravit, canone ego Berengarius de con. di. 2.

Objiciunt Hæretici.

Capharnaitæ.

Mat. 26. 1. CHristus inquit. pauperes semper habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis; at si esset in eucharistia semper eum haberemus.

Ioan. 6. 2. Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quicquam. Si ergo non prodest, quid tantopere contenditur esse, sub Eucharistia?

Augustinus super Psal. 4. Donec finiatur sæculum, sursum est dominus.

4. Alioquin falsificarentur tres articuli fidei, Ascendit in Cœlum, Sedet ad dexteram patris, Inde venturus est: nam si est in Cœlo, quomodo erit in altari? quia idem corpus in duobus locis esse nequeat.

Andreas Bodenstain Carolostadius, primus resusciator hujus hæresis sepultæ, adducit illa pro errore suo.

1- Si Chrifti Corpus & Sangvis effet in facramento, fequeretur panem pro nobis effe crucifixum.

2, Chriftus non dixit accipite corpus meum, fed accipite panem.

3. Panis non fit melior per hoc murmur & anhelare facerdotum, quis enim dedit poteftatem hanc facerdotibus?

4. Alioquin cum in Cœna Chiftus habuerit corpus mortale, & jam immortale, jam non verum effet de illo dici, quod pro vobis tradetur.

Mat. 24. 5. Chriftus ait, Si quis vobis dixerit hic eft Chriftus, aut illic, nolite credere: ergo non credamus, fi dicunt in ifta hoftia eft Chriftus, aut in ifta hoftia.

6. Increpat Catholicos quod appellant Eucharistiam Sacramentum, nam Apoftoli non fic nominaverunt, Deus dat creaturis fuis nomina non homines. Paulus autem appellat Cœnam domini, Panem domini, Calicem, &,

2. Cor. 11. 7. Cœna dominica fufficienter his verbis eft inftituta: JESUS accepit Panem, gratias egit & fregit & dedit Difci-

Discipulis suis & dixit: accipite & manducate, hoc facite in meam commemorationem. Et ista verba, hoc est Corpus meum, sunt impertinentia, & quasi per parenthesim interjecta.

8. Verba Pauli 1. Cor. 10. vitare nititur, quia ibi Apostolus Paulus non loquitur de Communione, id est sumptione sacramenti, sed de communione passionis Christi, quæ fiat ejusdem rememoratione.

9. Sic verba. 1. Cor. 11. existimat locum habere indigne commemorantibus.

Ecce hereticorum inconstantiam Zvingli: in suo câ. dixit Corpus Christi esse in eucharistia, similiter Ocecolampadius in duob: sermonibus. impius cum venerit in profundum. Zvingli. & Oecolampadius duo vasa erroris bellantia, Carolostadij sententiam amplexi sunt, fundat se Zvinglius in illo Ioan. 6. Caro non prodest quicquam. Tum ut claros Evangelij textus eludant, ajũt: Est sumi in actu signato, non exercito, ut Sophistæ in Cathegorijs dicunt. Videntes enim ab-

ſurdiſſimam eſſe Caroloſtadij torſionem, ſic evadere nituntur. Hoc eſt i ſignificat, corpus menm, vel hoc eſt corpus i. figura corporis mei.

¶ Repelluntur illa a á Catholicis

Chriſtum nos ſemper habiturum, fatetur veritas Matthæi ult. Ero vobiſcum uſq; ad conſumationem ſeculi. Ideo cum ait, me non ſemper habebitis, accipiendum eſt ſecundum præſentiam corpoream humanæ converſationis, neq; enim jam ungitur, lavatur, tergitur, &.

De. 11. Profectò ſi caro non proderit Catholicis, nec panis proderit hæreticis. Porrò nec hæreticus dicturus eſt, carnem Chriſti non profuiſſe in cruce. Adde quod non ſequitur, non prodeſt, ergo non eſt ſacramento niſi & hanc admittas illationem, ergo non eſt in Cœlo. At ſi acutius inſpiciamus, hereticis ſenſum Chriſti non aſſequuntur, Non loqitur Chriſtus de carne ſua, non enim ait, caro mea non prodeſt quicquam, hanc ſententiam habebant Iudæi, qui abierunt retro exiſtimantes carnem Chriſti viſibi-

liter

liter ſub ſpecie carnis dentibus direptam dilaniari.

De. III. Fatemur ſurſum eſſe dominum in Cœlo, ſedentem ad dexteram patris in forma viſibili & quantitativa, qui tamen ſub ſpecie Panis latet inviſibilis ſacramentaliter.

De. IIII. Veritas Euchariſtiæ non pugnat cum articulis fidei: Nam quia apud Deum non eſt impoſſibile omne verbum, poterit facere unum corpus eſſe in pluribus locis, cum natura poſſit unam eſſentiam animæ in pluribus membris facere, in manibus, pedibus. Aug. Item Chriſtus eſt in Cœlo, & tamen apparuit Paulo Act. 9. 22. &. 1. Cor 15.

De. I. Quæ Caroloſtadius ex Saxonia relegatus, odio Lutherum effudit, omnia ſunt tam impia & optuſa, ut reſponſionem non mereantur, dicamus tamen.

Fortè Luther haberet concedere, Panem eſſe crucifixum per communicationem idiomatum: at quia Catholici longe abſumus ab illa hæreſi, quod Panis maneat in Euchariſtia, ideo illatio Caroloſtadij non admititur.

De. II. Non eſt verum quod aſſumit Caroloſtadius, non enim inquit accipite Panem, ſed pane porrecto, ait, accipite & comedite, hoc eſt Corpus meum. Quid autem intereſt dicere, accipite Corpus meum, & porrecta manu dicere, Accipite hoc eſt Corpus meum?

De. III. Nemo dicit quòd per ſufflare aut anhelare ſeu murmurare panis fiat melior, ſed quando Sacerdos ſecundum inſtitutionem Chriſti, dicit verba conſecratoria, quibus Deûs ſua virtute divina omnipotenti aſſiſtit, & ſubſtantiam Panis inCorpus ſuum convertit& Vinum in Sangvinem, Hanc autem poteſtatem à Chriſto acceperunt Apoſtoli, eo dicente, hoc facite in meam commemorationem. Ideo Paulus ait: Ego accepi à Domino quod & tradidi vobis &c.

De. IIII. Rom. 6. Etſi Corpus Chriſti jam ſit impaſſibile, neque ſacerdos dicit illud eſſe tradendum, qui novit quod Chriſtus ultra non moritur, ſed renarrat Chriſtum talia dixiſſe in Cœna, quod eſt verum, tunc enim (non modo)

Cor-

Corpus Christi tradendum erat, & sangvis fundendus.

De. V. Quod Christus dixit de regno suo fidei, hæretricus accipit de corpore Christi. Prævidit Salvator futurum, ut Hussitæ dicerent Christum stare pro eis. Lutherani his edversi, asserunt Christum pro eis esse, Carolostatinos excludentes. Zvingliani de Christo se jactitant. Rebaptizatores soli Christum sibi vendicant, ab his hæreticis monuit nos dominus.

De. VI. Vana est Carolostadij jactantia, nam quum constat de re, frustra certatur de nomine, nec Deus creaturis nomina dedit, sed Adam, *Gen. 2.* neque sacramentum est falsum signum, ut ille judaizans nebulo Ecclesiam iridet quæ sit sekerment, nam ab Apostolis ad nos usque devenisse sacramentorum appellationem ex Dionysio liquet, qui libro de Ecclesiastica hierarchia appellat eucharistiam synaxin, & juxta inclytum præceptorem suum, ait eam esse sacramentorum consummationem, sacrosancta & augustissima illius dicit mysteria

ria & divina munera, & in communi dicit Sacramenta.

De. VII. Quob ipse dicit negamus, nam hoc est corpus meum in medio connectitur conjunctissime alijs verbis, & puerile est accipere extrema ad cœnam, & media propria authoritate excludere probet ipse hanc dissolutionem ex scriptura, nam nec stulto satisfaceret, quod inquit punctum præfigi orationi & à magna litera principiari. Hoc, Hui hoc est Theologum præstare, ex magnis literis & punctis certare, explodantur Sophistæ ex Theologia, & assumantur punctistæ cum illis magnis literis capitalibus, Puerila sunt que garrit de tuto, naturalis consequentia verborum non patitur, nisi quod demonstraverit porrectum Panem in manu, ideo significantius additum est hoc Et expende quæ Luther hic dicit contra Carolostadium, expugnant Lutherum in sua torsione istorum verborum: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.

De. VIII. Lacerat Carlstat Paulum, nam cum solis intendit allegorijs, literam & spiri-

& ſpiritum unà amittit, certum eſt Paulum loqui de communione & paticipatione euchariſtiæ, non paſſionis. Porrò communicatio paſſionis eſt ſolum bonorum, participatio euchariſtiœ eſt communis dignis & indiguis, bonis & malis.

De IX. Similiter lacerat Paulum, nam Paulus loquitur de manducantibus indigne, iſte torquet ad commemorantes indigne, quum illa ſint diverſa, licet uterque peccet, ſcilicet indigne communicans & indigne commemorans.

De. V. *Principal.* Zuinglius & Oecolampadius hujus eroris conſortes viderunt Caroloſtadij expoſitionem ad illa verba, hoc eſt corpus meum, eſſe violentam, duram & audacem, atque plurimum à vero aberrantem, placuit tamen eis impietas, unde expoſitionem commenti ſunt nugaciſſimam & pluſquàm ſophiſticam. Eſt accipitur pro ſignificat. Ita addecet novos Evangelicos puram literam ſcripturæ ſequi, id eſt, lacerare. Unde etiam à Luthero & Bugenhagio irridentur. Et eorum impietatem ſic funditus deſtruas.

I. Primo

I. Primo insanit Haußchein dum ait, hoc est Corpus meum, id est, forma corporis mei, quia & sibi & Catholicis contradicit, omnium enim sententia ibi est forma panis, etiam si apud Catholicos credatur esse Corpus Christi, tamen sub forma panis visibili. Vide Aug de sen. Prosperi.

II. Secundo deprehenditur inscitia Zvinglij & Oecolampadi dum in locutione metaphorica existant, est, valere significat. Unde in hanc impietatem ex ignorantia dialecticæ venerunt, unde postea in symbolica errant Theologia, & ut videant non progredi eorum doctrinam intueantur illud tritum: Lupus est in fabula, an, est, hic exponant Bardi illi pro significat. Item in illis symbolis Ioannis decimo immittant suum significat. Mercenarius, cuius non sunt oves propriæ, videt lupum. Ego sum pastor bonus, id est, ego significo bonum pastorem, & cognosco oves meas. O stupidi, insensati, & indoctissimi hæretici.

III. Tertio sophismata Oecolampadij, torquentis sententias patrum, maxime Augu-

Augustini facile vitabimus, si advertemus Euchariſtiam ſignum dici.

Primo ratione ſpecierum ſenſibilium Panis & Vini.

Secundo, quia etiam Corpus Chriſti verum, eſt ſignum corporis Chriſti myſtici.

Tertio, quia euchariſtia ſumpta, eſt ſignum gratiæ, ſumenti collatæ.

Et quarto, cum Corpus Chriſti ſit ibi non modo circumſcriptive, ſed ſuus modus eſſendi inſit ſpiritaliter, etiam ſigni aut formæ nomine deſignatur, licet nihilominus adhuc vere ubi ſit Corpus Chriſti.

Quinto, quia tres Evangeliſtæ & Paulus nullam indicant metaphoram, ſed identice enuntiant, hoc eſt Corpus meum. Et toties repetunt, neque alibi ex ſcriptura docebunt hic eſſe metaphoram, neque fide docemur hic eſſe metaphoram, quare in ſenſu proprio eſt accipiendum.

Hoc eſt Corpus meum. Delirat enim Zvinglius, eſt, alicubi in ſacris literis accipi pro ſignificat. Sed omne delirium ſupe-

ſuperat. Si alicubi, eſt, acciperetur pro ſignificat, ergo hic accipitur, ſed deceptus fuit ex ignorantia logicæ. Cum enim Chriſtus dicit ſe vitem. Eſt, non ponitur pro ſignificat, nam obtuſitas eius agnoſceretur, ponendo in textu; Ego ſum vitis vera, id eſt, ſignifico vitem veram, hoc ſecundum Zvinglium, cum tamen Chriſtus non ſignificet vitem, ſed ſignificetur per vitem.

Porrò quinto clariſſimo textui Evangelico accedit conſenſus totius Eccleſiæ Catholicæ, & potentiſſima miracula in hoc venerabiliſſimo ſacramento diviniтus monſtrata, pereant igitur hæreticorum nugacia ſophiſmata, deliræ impietates, indoctiſſimæ torſiones, ac violentæ ſacræ ſcripturæ expoſitiones. Cum unus Lucas omnia eorum ſomnia excludat, cum narret Chriſtum dixiſſe: Hic Càlix novum Teſtamentum in ſangvine meo. Amant enim hæretici græca, in quibus non legitur, eſt. Et tamen identice, Calix novum teſtamentum dicitur, non certe in vino, ſed in meo Sangvine, non enim eſt teſtamentum ſine

ne Sangvine. Vide Paulum ad Hebræos 9.

Psal. 108. Attende quomodo hæretici moti sunt sicut ebrius, & omnis sapientia eorum devorata est. Oecolampadius Anno M.D 24. Mense Julio indignabatur Sangvinem Christi denegatum fidelibus in synaxi: & anno nondũ evoluto ipse cum complicibus hæreticis denegat fidelibus, & Corpus & Sangvinem Christi. Similiter Zvinglius. Carolostadius postquam tantum incendium de Sacramento sufflavit, jam palinodiam cecinit, non proposuisse se ista ut credenda, neque ista fore asserta ex spiritu, aut sacris literis, sed certius indaganda ex proprio capite ab eo esse proposita. Vide quomodo stultus ut Luna mutatur. *Eccl. 27.*

DE BAPTISMO PUERORUM. XXVIII.

Gen. 17. HOc est pactum meũ quod observabitis inter me & vos &c. Infans octo Dierum-

rum circumcidetur in vobis, &c. Masculus cujus præputij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritū fecit. Modo hoc videtur Baptismus in Ecclesia quod circumcisio in sinagoga. Sicut enim per circumcisionem parvuli Judæorum includuntur cum pacto divino, sic & parvuli Christianorum non sunt excludendi à pacto dei, quare pueri sunt Baptizandi, contra rebaptizatores. Et puer non Baptizatus damnatur lege communi, contra Zvinglium, quidam unam hæresim rebaptizatorum vellet destruere, alias decem docet deteriores, contra expressas scripturas.

Mar. 10. Sinite parvulos venire ad me & ne prohibueritis eos, talium est enim regnum Dei, &c. Et complexans eos & impones manus super illos, benedicebat eos: male faciunt ergo rebaptizatores, prohibentes pueros per Batismum venire ad Christum.

Mat. ult. Baptizate omnes gentes, ergo etiam parvulos.

1. Cor.

1. Cor. 10. Quoniam patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes Baptizati ſunt in mari & nube. Certum autem eſt, quod etiam parvuli fuerunt ſub nube, & ita figuraliter Baptizati.

Baptiſmus non eſt reiterabilis ſine ſacrilegio, unde Paulus: *Heb. 6.* Impoſſibile eſt eos qui ſemel ſunt illuminati, guſtaverunt etiam donum cœleſte, &c. & prolapſi ſunt rurſus renovari ad pœnitentiam. Non negat reiterationem pœnitentiæ ut Novatianus, ſed renovationis, id eſt, Baptiſmi.

Accedit uſus & authoritas totius Eccleſiæ ab ipſo Apoſtolorum tempore, cui merito omnes filij devoti debent parere.

Dio. ca. 7. Dionyſius de Eccleſiaſtica Hierarchia, cum dixiſſet pueros qui necdum poſſent intelligere divina, ſacri Baptiſmatis fieri participes, ſubdit: Iſtud cum pijſſimis ducibus noſtris (ita ſolet appellare Apoſtolos) in mentem veniſſet, viſum eſt admittere infantes hoc modo, ut naturales oblati parvuli, pa-

rentes puerum uni ex fidelibus tradant, præclaro divinarum rerum magiſtro, in hunc præſul ſpondentem puerum juxta ſanctam educatam vitam requirit, ut abrenuntiationem profiteatur, fidemq; fateatur. Ecce pueros baptizatos ab Apoſtulis ſub ſponſione patrinorum.

Cyprianus & totum concilium Aphricanum ad Fidem qui opinatur pueros intra ſecundum & tertium diem conſtitutos, non debere Baptizari. Reſpondet Cyprianus: Longe aliud in concilio noſtro omnibus viſum eſt, in hoc enim quod tu putabas faciendum, nemo conſenſit, ſed univerſi judicavimus nulli hominum nato miſericordiam Dei & gratiam denegandam.

Orgines ſuper epiſtola ad Romanos.

Auguſt ſuper Gene. lib. 10. ca. 23. Conſvetudo matris Eccleſiæ in Baptizandis parvulis nequaquam ſpernenda eſt, neque ullo modo ſuperflua deputanda, nec omnino credenda, niſi apoſtolica eſſet traditio. Egit hanc cauſam duobus

bus libris ad Marcelinum, ſub titulo, de peccatorum meritis & remiſſione, hos libros vidit Hieronymus, & habuit.

Hieronymus libro tertio adverſus Pelagianos affirmat parvulos Baptizari, ut eis peccata in baptiſmate dimittantur,

Primus Parabaptiſta fuit Agrippinus Carthagineñ.

Vin. Lirine: de anti: Eccleſ: Concilium Milevitanum contra Pelagianos hæreticos canone 77.

Tres hæretici annathematizant. Item placuit, ut quicunque parvulos recentes ab uteris matrum Baptizandos negat, aut dicit in remiſſionem quidem peccatorum eos Baptizari, ſed nihil ex Adam trahere orginalis peccati, quod lavachro regenerationis expietur, unde fit conſequens, ut in eis forma baptiſmatis in remiſſionem peccatorum non vera ſed falſa inteligatur, anathema ſit: hic à ſacro concilio anathematè percutitur Baldaſar Hiebmair cum ſuis rebaptizatoribus, negantes Baptiſmum parvulorum.

2. Ipſe

2. Ipſe Zvinglius, qui negat peccatum originale in pueris Ideo non deleatur in baptiſmo, unde volens hæreſim de pueris non baptizandis deſtruere, decem alias affert hæreſes, quarum & illa una eſt, pueros catholicorum, &c. non baptizatores ſalvari, adde Auguſtinum ubi ſupra ca. 33. ſimiliter Hierony.

3. Tertio quidam novellus hæreticus Eberhardus Uviedēſ. Canonicus regularis, apoſtata Halberſtaten: qui concedit quidem peccatum orginale, tamen ait incertum an puer Baptizatus moriens ſalvetur, quia neſcimus an recipiat fidem, & ſic, ſi non recipiat fidem remanet filius iræ damnationis. Ecce in quotcapita ſcinduntur hæretici, contra Apoſtolum. Non idipſum dicentes omnes. *1. Cor. 2.* Ratio id evincit in fide fundata, habent enim peccatum originale aliena prævaricatione contractum, cur ergo pater miſericordiarum dominus non inſtituiſſet eis remedium, ut & aliena voluntate cooperante ſanarentur. Quod autem peccatum contrahant pueri,

ri, liquet ex Auguſtino & Hieron. ubi ſupra contra hæreſim Pelagianorum, & probatur. Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea. Eramus natura filij iræ ſicut & cæteri. Omnes enim peccaverunt & egent gloria Dei. Sicut per unũ hominem peccatum in hunc mundũ intravit & per peccatũ mors, & ita in omnes homines mors pertranſijt, in quo omnes peccaverũt, hic Apoſtolus dicit: in quo omnes peccaverunt, & Pelagiani & Zwinglius audent dicere, parvulos non peccaſſe. *Pſ. 50. Epheſ. 2. Rom. 3. & 5.*

In quinta ſynodo Conſtantinopoli fuerunt damnati Parabaptiſtæ Zoara, Syrus monachus, Severus Antiochenus, Petrus Antiochenus, Antymus Trapezuntius, Petrus Apamarum.

Rom. 5. Et infrà: Si in unius delicto mors regnavit per unũ, multo magis abundantiã gratiæ & donationis & juſtitiæ accipientes in vita regnabunt (etiã parvuli in Chriſto regenerati) per unum JEſum Chriſtum. Et infrà: Sicut per

inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, &c.

1. Cor. 1. Gratias ago Deo meo, quod neminem vestrũ baptizavi nisi Crispum & Cajum, ne quis dicat quod in nomine meo baptizati sitis. Baptzavi autem & Stephanæ domum. Si totam domum baptizavit, ergo & parvulos hujus domus.

1. Cor. 15. Sicut in Adam omnes moriuntur (etiam parvuli) ita & in Christo omnes vivificabuntur, etiam parvuli. Hoc autem non nisi per baptismum per quem Christo incorporantur.

Rom. 6. Contra rebaptizatores, pro baptismo puerorum Oecolampadius argutatur

1. Rebaptizatores contemnunt usum Christianæ communitatis.

2. Inductiva est illa sententia sectarum schismatum & seditionum.

3. Quis ita docuit hactenus, aut quis consvetudinem hanc observavit?

4. Quando tandem incœptum est in eccle-

ecclesia pueros baptizari, si aliquando non baptizabuntur?

5. Si pueri non sint baptizandi, hoc probent prohibitum ex scripturis.

6. A tempore Apostolorum baptismus non fuit prohibitus pueris.

7. Vultis tot centena millia baptizatorum infantium non acceptare pro Christianis fratribus?

8. Zwinglius invehitur in eos quòd non obtinebunt victoriam, quia etiam ante mille annos hoc attentantes succubuerunt.

9. Indignatur eorum novitati. Si eò res progressa esset, inquit, quòd quodlibet caput obliquum (quamprimum aliquid novi & rari in phantasiam veniret) mox sectam adhærentem excitaret, tot futuræ essent sectæ, & schismata, ut Christus in multis partiretur. Et infrà: Quodlibet caput melancholicum, Saturnium, & singulare nititur propriam sectam erigere.

10. Licet baptismus puerorum non sit clarus ex scripturis sacris, sicut & alia multa, tamen quia non sunt contra Deum: sed cum Deo, ideò suscipienda.

Hæc recensuimus, ut intelligant catholici, quomodo hæretici nequeunt se defendere contra hæreticos, nisi armis Ecclesiæ. Nam quod Cyprianum, Augustinum, & concilium Milevitanum inducunt, quando Catholici id facerent, clamarent patres, patres. Ponamus rem ante oculos.

1. Et Luther & Oecolampadius rejiciunt usum ecclesiæ in baptismo, & missa, & omnibus.

Et hæresis Lutheri multas jam protulit sectas, & Seditiones tam cruentas, quales non sensit antea Germania. Unde plus quàm centena millia hominum periere.

3. Quis ita docuit, ut lingua Germanica baptizaretis? ut sacerdos Zwinglius uxorem duceret? & Oecolampadius votum ac ordinem rejiceret apostata?

4. Si aliquando non fuit quadragesima in

in ecclesia, quando ergo incœpit? aut si olim non erat confessio ecclesiastica, (quam auricularem vocant) quando incœpit?

5. Probent hæretici. Non exorcizandum puerum, non habendos patrinos. Matrimonium non esse sacramentum, Confessionem non faciendã Sacerdoti, & mille hujusmodi, quæ prohibent probent in quam prohibita in scripturis.

6. A tempore Apostolorum non fuit prohibitus cœlibatus, benedictio cereorum, &c.

7. Vultis tot centena millia confitentium, in Missa offerentium, eucharistiam adorantium, vota religionis servantium; non acceptare pro catholicis, angustissima erit via ad Christum.

8. Nec tu obtinebis victoriam contra imagines Sanctotum, contra eorum reliquias, contra peccatũ originale, quia Feliciani, Helvidiani, Pelagiani ante mille años hoc attentantes succubuerunt.

9. Indignantur omnes catholici super tot hæresũ novitates, quod quilibet

pro ſuo capite mutat & confundit miſſam, baptiſmum, communionem, & omnia officia eccleſiæ.

Dolent Catholici permitti hæreticis, tot ſectarum novitates, ſunt Lutherani, Caroloſtatini, Zvingliani, Oecolampadij, Rebaptizatores Capharnaitæ.

Cur ergo Luther, Billicanus Car-Iſtat, & tu ipſe, nihil admittebatis, niſi quod claris ſcripturis ſacris probaretur. Exiſtimantes validum eſſe argumentum in Theologia. At non legitur, ergo non eſt, cur jam traditiones hominum capeſſitis, quæ vertigo cerebrum veſtrum dementavit? Ubi eſt Zvinglij argumentum cornutum, tui fratris Balthaſaris Fridbergers? Supra tit. 16.

Objiciunt Hæretici.

Marc. ult. 1. Euntes in mundum univerſum, prædicate Evangelium omni creaturæ, qui crediderit & baptizatus fuerit ſalvus erit, ergo ſoli credentes baptizandi.

Matt, ult. 2. Euntes docete omnes gentes

gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia quæcunque mandavi vobis.

Act 8. 3. Evnucho nuntiabatur prius Evangelium antequam baptizaretur, similiter Cornelio. *Act.* 10.

4. Cur duntaxat ter baptizabant in anno antiquitus, si pueri nati mox baptizandi sunt?

5. Nicolaus Papa incœpit baptizare pueros, sed scriptura baptismum puerorum ignorat.

Respondent Catholici.

De 1. *&* 11. Christus loquitur de adultis, tam apud Marcum quàm Matthæum. Notent tamen Lutherani ex verbis Christi non sufficere, credere & baptizari, sed oportere servare omnia quæ mandavit Christus.

Aug. ad Bonif. de cons. Docentur etiam & credũt parvuli in ecclesia Salvatoris per alios, sicut ex alijs quæ in baptismo remittuntur peccata traxerunt. *dist.* 4. *cap.* Idem mater ecclesia, os maternum par-

vulis præbet, ut ſacris myſterijs imbuantur, quia nondũ poſſunt corde proprio credere ad juſtitiam, nec ore proprio confiteri ad ſalutem: *Rom.10.* Si autem propterea rectè fideles vocantur, quoniam fidem per verba geſtantium quodam̃odo profitentur, cur etiam non pœnitentes habe..ntur cum per eorundem verba geſtantium, diabolo & huic ſæculo abrenuntiare monſtrẽtur. Hæc ille. Cujus aſſignatur ratio, quia regeneratio Spiritualis, eſt quodam̃odo ſimilis nativitati carnali, quantũ ad hoc quod ſicut pueri in maternis uteris conſtituti, non per ſe ipſos nutrimentũ accipiunt, ſed ex nutrimento matris ſuſtentantur: ita etiam pueri, nondum habentes uſum rationis quaſi in utero matris eccleſiæ conſtituti, non per ſeipſos, ſed per actum Eccleſiæ ſalutem ſuſcipiunt Et ita fides aliena, puta Eccleſiæ, parentum, & patrinorum offerentium parvulos ad baptiſmum ſufficit eis ad ſalutẽ, *Mat 9.* ſicut fides offerentium paralyticum, quorum fidem videns JEſus ait

tuntur tibi peccata tua. *Mat.* 8. Ita fides Centurionis obtinuit puero ſuo ſalutem. Et fides mulieris Chananeæ impetravit filiæ ſuæ à dæmonio poſſeſſæ liberationem, &c. *Mat.* 8.

De III. Eunuchus fuit adultus, & ſimiliter Cornelius.

De IIII. Illud fuit pro adultis non pro pueris, & bis tantum fiebat ſolemnis baptiſmus adultorum in Paſcha & Penteco ſte. Non ter, ut Oecolampadius ſomniat, velut ex Siritio, Leone, Gelaſio & Gerundinenſi concilio liquet.

Non eſſe Nicolai Papæ inventum, ex Hieronymo, Auguſtino & Cypriano liquet, qui 400. aut 600. annis Nicolaum præceſſerunt. Nulla vidi ſcripta rebaptizatorum, audio eſſe plerunq; homines indoctos, temerarios, & qui Latinã linguam non calleant, uno dempto Balthaſari Hiebmair Fridbergerio: quod narratur eſſe Author hujus perditæ ſectæ, is dum com̃unionem ſedis Apoſtolicæ haberet doctoratus honore fungebatur

gebatur *combustus est Viennæ. 1528.* Det ei Deus ut possit lumen cernere verum.

DE LIBERO ARBITRIO XXIX.

Hæreticorum insania. HÆretici hic resuscitarunt olim extinctam hæresim Manichæi, primo quidem negarunt liberum arbitrium se habere active ad bonum opus, quia illud totum & totaliter fieret à Deo: de in Luther insanus factus negavit omnino liberum arbitrium, quia omnia de necessitate absoluta eveniunt, quod olim stupidi Stoici Empedocles, Critolaus Diodurus, *Contra quos etiam Seneca l. 2. natur, quest.* & alij errantes dixerunt.

Gen. 4. Dixit Dominus ad Cain: Noñe si bene egeris, recipies? sin autem male, statim in foribus peccatũ tuum aderit, sed sub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius: hic Deus facit liberum arbitrium dominũ. Luther in ignominiam

niam Creatoris, facit illud servum necessitatum.

Deut 30. Mandatum quod ego præcipio tibi, non est supra te, sed juxta te est sermo valde, in corde tuo ut facias illũ. Considera quod hodie proposuerim in conspectu tuo vitã & bonum, & econtrario mortem & malum. Infra: Testes invoco hodie cœlum & terram, quod proposuerim vobis vitam & mortem benedictionem, &c. elige ergo vitam, & vivas & semen tuum: Electio pertinet ad liberum arbitrium, concordat Sapiens: *Eccl. 15.* Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui, adjecit mandata & præcepta. Si volueris mandata conservare conservabunt te, apposui tibi aquam & ignem, ad quodcunque volueris porige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei dabitur ei, nihil expressius dici poterat pro libero arbitrio.

Hier. 5. Et eligent magis mortem,

quam vitam, omnes qui residui fuerint de hac cognatione pessima.

Iob. Salvabitur innocens, salvabitur autem in munditia manuum suarum.

Iosue ult. Optio data est Judæis, an Deum sequi velint.

2. *Reg.* 24. Optio data David eligendi plagam ex tribus.

Num. 30. Optio data est viro in voto uxoris Modò optio non est sine libero arbitrio.

Eccl. 31. Qui potuit transgredi & non est transgressus, facere mala & non fecit.

Esa. 56. Fecistis mala, quoniam potuistis.

Psal 53. Voluntariè sacrificabo tibi.

Sap. 16. Substantia tua dulcedinem tuam quam in filios habes ostendebat, & deserviens uniuscujusq; voluntati ad quod quisque volebat convertebatur.

Matt. 25. Ait servus: Domine quinq; talenta tradidisti mihi, ecce alia quinq; lucratus sum. Lucrari non potuit, nisi liberum arbitriū haberet se active, alioquin diceret se decem talenta accepisse, Concordat Paulus: 2. *Cor.*

1.Cor.15. Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit, Infra: Dei enim sumus adjutores.

1.Cor.13. Abundantius omnibus laboravi non ego, sed gratia Dei mecum, simul ergo operantur liberum arbitrium & gratia, ut ait Hieronym. Et Bernardus dicit Apostolum fuisse socium operationis.

Psal.118. Audiantur prophetæ. Anima mea in manibus meis semper *107.* Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis, quod si nolueritis & me ad iracundiam provocaveritis, gladius devorabit vos.

Esa.46. Redite Prævaricatores ad cor.

Hier.3. Ecce locuta est & fecisti mala, & potuisti.

Ezech.18. Projicite à vobis omnes prævaricationes vestras in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum, & Spiritum novum, & quare moriemini domus Israël quia nolo mortem morientis, dicit dominus Deus. Revertimi-

ni & vivite. Et ante dixerat: Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, & cæt. In Justitia sua quam operatus est, vivet. Operatur, ergo non solum recipit justitiam.

Zach. 11. Convertimini ad me & ego convertar ad vos, ait Dominus exercituum.

Mat. 23. Hierusalem quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & nolluisti. Deo volente homo non vult per liberum arbitrium.

Mat. 19. Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Cum multis similibus.

1. *Cor.* 14. Spiritus Prophetarum prophetis subjectus est.

1. *Cor.* 7. Qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis. Insanus Luther imponit necessitatẽ, Paulus negat. Cui credemus? Unusquisque prout destinavit in corde suo: non ex tristitia aut necessitate. 2. *Cor.* 9.

Omnis qui habet spem hanc in ipso (Deo)

(Deo) ſanctificat ſe ſicut ille Sāctus eſt, *1. Ioan. 3.* Eece liberum arbitrium & ejus activitatem: & Auguſtinus ibi. Videte, quomodo non abſtulit liberum arbitrium Infrà: Quia agis aliquid voluntate, ideo tibi aliquid tributum eſt, ut dicas ſicut Pſalmiſta: adjutor meus eſto, ne dereliquas me, *Pſal. 26.* Si dicis Adjutor meus es, aliquid agis: nam ſi nihil agis, quomodo ille adjuvat?

Simile dicit S. Petrus. Animas veſtras caſtificantes in obedientia charitatis, in fraternitatis amore, ſimplici ex corde invicem diligite. *1. Petr. 4.* Si ergo debemus nos ſanctificare, animas noſtras caſtificare, id non fiet ſine libero arbitrio, neque ſine actione liberi arbitrij.

1. Ioan. 3. Et in conſpectu ejus ſvadebimus corda noſtra, quomodo autem ſvaderet ſine libero arbitrio, aut quæ utilitas ſvaſionis ſi omnia neceſſario eveniunt, ut inſanit Luther?

Ad Phile. Sine conſilio tuo nihil volui facere, uti ne velut ex neceſſitate bonum

num tuum esset, sed voluntarium. Luthero bruto, omnia de necessitate fiunt.

Mar. 14. Semper enim pauperes habetis vobiscum: & cum volueritis potestis illis benefacere.

Porrò si libero caremus arbitrio & omnia absoluta necessitate eveniunt, nihil relinquitur precibus, concilijs, regiminibus publicis, deliberationibus, nulla debentur præmia virtutibus, nullæ pœnæ vitijs, pereunt leges, jura, statuta, præcepta: cessant admonitiones, persvasiones, illices, &c. Nam hæc omnia libertatem exigunt, necessitate autem cassantur. Et in summa, hoc esset omnia flagitia, & scelera, impietates ac blasphemias in Deum referre. Nam quis imputabit Judæ proditionem, quam inevitabili necessitate commisit, &c.

Contra dicit Dominus.

Hier. 2. Arguet te malitia tua & aversio tua increpabit te.

Ose. 13. Perditio tua ex te Israël, tantummodo in me auxilium tuum.

2. *Tim.*

2.Tim.3. Omnis ſcriptura divinitus inſpirata, utilis eſt ad docendum,ad arguendum, ad corripiendum , ad erudiendum in juſtitia , ut perfectus ſit Homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus. Si omnia neceſſariò fiunt quid prodeſt docere, arguere, corripere, erudire ? Si liberum arbitrium nihil facit, quid prodeſt hominem eſſe inſtructum ad opus bonum ? Unde Luther ex hominibus vult facere truncos & ſtipites. Qui agunt omnia cum conſilio, reguntur prudentia. *Pro. 13.*

Hieronymus affirmat ſibi hoc ſtudium fuiſſe,ut omnipotentiam Dei ſimul & liberum arbitrium aſtrueret, ſimile dicit Ambroſius de vocatione gentilium, lib. 1. cap. 3.

Auguſtinus in pluribus locis,maxime tamen lib.3.hiponoſticon,ubi inter alia inquit: Liberum arbitrium ineſſe hominibus certa fide credimus, & prædicamus indubitãter. Sic Origenes, Chryſoſtomus, Baſilius, Theophylactus (cui ob id iniquior eſt Oecolampadius) omnes aſtruxerunt liberũ arbitrium. Gre-

Gregorius Nissenus fatum inevitabile Stoicorum destruit, & liberū arbitrium activum evidentissimè commonstrat.

Cyprianus ad Cornelium lib. 1. epistola. 3. Christus dixit ad Apostolos: *Ioan. 6.* Nunquid & vos vultis abire? servans scilicet legem qua homo libertati suæ relictus & in arbitrio proprio constitutus sibimetipsi vel mortem appetit vel salutem.

Bernardus est totus in hac sententia, in peculiari libro de arbitrio & gratia.

Objiciunt Hæretici.

Ioan. 3. 1. Baptista dixit: Non potest homo accipere quicquam nisi fuerit ei datum de cœlo.

Iuc. 1. 2. Omne datum optimum & donum perfectum, desursum est descendens à patre luminum.

2. Cor. 3. 3. Omnis sufficientia nostra ex Deo est.

1. Cor. 4. 4. Quid habes, quod non accepisti: si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?

Rom. 9. 5. Miſerebor cui miſertus ſum, & miſericordiam præſtabo cui miſerebor, igitur non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei. Ergo cujus vult miſeretur, & quem vult indurat.

Eſa 63. 6. Quare errare nos feciſti Domine de vijs tuis, induraſti cor noſtrum, ne timeremus te.

Ibid. 45. 7. Nunquid dicit lutum figulo ſuo, quid facis? & opus tuum abſque manibus eſt.

Hier. 10. Non eſt hominis via ejus, nec viri ut ambulet & dirigat greſſus ſuos.

Rom. 9. & 11. 8. Si Reliquiæ ſecundùm electionem gratiæ Dei ſalvæ factæ ſunt, ſi autem gratia, jam non ex operibus: alioquin gratia jam non eſt gratia.

Mat. 10. 9. Cum autem tradent vos, nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini.

Mat. 10. 10. Nonne duo paſſeres aſſe væneunt, & unus ex illis non cadet ſuper terram ſine patre veſtro?

Ioan.

Ioan. 6. 11. Nemo venit ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum.

12. Ecclesia orat: Deus cujus est totum quod est optimum.

13. Augustinus ad Felicianum, dum Deus remunerat merita nostra, coronat dona sua.

14. Bernardus. Liberum arbitrium est tantum capax salutis.

15. Porrò extollere hoc modo liberum arbitrium, quasi aliquid possimus ex viribus nostris, est hæresis Pelagiana: nam liberum arbitrium ante gratiam nihil potest nisi peccare, ideò scholastici ponentes meritum congrui, sunt novi Pelagiani.

Respondent Catholici.

Fatemur ante omnia Deum esse primam causam omnium rerum, & nihil sine ipso fieri posse, unde ad omnem effectum naturalem influit generaliter, sed ad operationes bonas rationalis creaturæ concurrit etiam speciali influxu. Deus igitur est prima causa movens & naturales causas & voluntarias. Et sicut

ſicut cauſas naturales, movendo eas non aufert, quin actus earum ſint naturales: ita movendo cauſas voluntarias non aufert, quin actiones earum ſint voluntariæ, ſed potius hoc in eis facit, operatur enim in unoquoq; ſecundùm ejus proprietatẽ, cuncta diſponens ſvaviter. Dein fatemur, liberum arbitrium ex ſe ſolo non poſſe in bonum, & nihil eſſe ſed gratia Dei facit ut aliquid poſſit, ideò nullus homo ex ſe cogitat aliquid boni, ſed ex gratia Dei ſpeciali. Tertiò dicunt hoc non ſolùm intelligi de gratia, quæ eſt charitas & gratũ facit Deo, ſed etiam de motione gratuita prævia, quâ Deus inſpirat, pulſat, & vocat hominem ad bonum. Ideò diligenter eſt attendendum, quid ſolius Dei, quid Dei & liberi arbitrij ſimul. Quod ſignificantiſſimè Auguſt. aut quis alius eruditus Author in lib. de eccleſiaſticis dogmatibus expreſſit dicens: Initium ſalutis noſtræ Deo miſerante habemus (Ecce primus gradus ſolius Dei) ut acquieſcamus ſalutari inſpirationi, noſtræ pote-

ſtatis eſt (en ſecundum gradum, qui eſt liberi arbitrij & ibi meritum congrui) ut adipiſcamur quod acquieſcendo inſpirationi cupimus, divini muneris eſt (ecce gradum tertium gratiæ gratum facientis) ut non labamur in adepto ſalutis munere, noſtræ poteſtatis eſt, & divini pariter adjutorij. Quartus iſte gradus perſeverantiæ pendet ex gratia Dei, & libero arbitrio ſimul.

De. I. Fatemur bonum non niſi Deo datore accipi, ſed aliqua dat agente libero arbitrio, aliqua ſine illius actione.

De. II. Ita fatemur merita noſtra eſſe dona Dei, & data à Deo, præveniente cooperante, & ſubſequente, ſed non negatur per hoc liberum arbitrium concurrere active ad merita.

De. III. IV. & V. Similiter dicatur, nam Deus ex miſericordia prævenit liberum arbitrium movendo, & miſericorditer cooperatur adjuvando, voluntates noſtras aſpirando, præveni orat eccleſia.

De. 6. Populus peccans non facit Deum

Deum Authorem peccati & erroris. Ita intelligatur, feciſti, id eſt, permiſiſti, ſic induraſti, id eſt, indurari permiſiſti. Juxta communem theoricam, ſed per hoc non evacuatur activitas liberi arbitrij, magis comprobatur.

De. VII. Fatemur nullum hominem debere rebellare, aut ſuperbire contra opificem, ſicut nec inſtrumentũ contra artificẽ, omnis enim creatura eſt inſtrumentum Divinæ potentiæ, ſed per hoc non auſertur liberum arbitrium.

Non eſt in homine via ejus, quantũ ad executiones electionum, in quibus impediri poteſt multipliciter, velit nolit. Electiones autem ipſæ ſunt in nobis, ſuppoſito tamẽ Divino auxilio. Et ideò non dicitur eſſe liber ſuarum actionum, ſed liber ſuæ actionis, quæ eſt judicium de agendis, & hoc ipſum nomen liberi arbitrij demonſtrat. Sonat enim liberũ de agendo vel non agendo judicium.

De. VIII. Salvantur boni ex gratia, non operibus, intelligas excluſa gratia, quia opera nihil ſunt ſine gratia. Non enim

enim sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis, ait Paulus. *Rom.* 8.

De. IX. Aufert anxiam sollicitudinem præcogitandi. Et secus est de scientia Apostolorum quia illa erat infusa & liberum arbitrium habebat se passivè, secus de operibus liberi arbitrij, quæ simul cum gratia operatur.

De.X. Cæcutit Melanchthon, qui hoc dictum lacerat contra liberum arbitriū, cum omnis homo videat Christū velle, omnia esse subjecta providentiæ Dei.

De. XI Asserimus tractum patris per gratiam præveniente͞ & cooperantem, sed acquiescere rationi, & non indurare corda nostra, si vocem ejus audierimus, hoc est liberi arbitrij.

De. XII. Admittimus totum esse à Deo, non solum in optimis sed etiam in omnibus creaturis sed sicut per hoc causæ naturales, non excluduntur, ita nec in moralibus liberum arbitriū. *Contra Carolostad.* Alias rotundè dixi, meritū est totum à Deo, sed non totaliter, hoc clarè intelligit bonus Physicus. *De.*

De. XIII. Merita nostra sunt dona Dei, imò omnia bona, quæ accipimus temporalia sunt dona Dei; sicut Job ait, sed per hoc non excluditur activitas liberi arbitrii, sicut nec gignitio bovis, aut etiam fructificatio agri, &c.

De. XIV. Liberum arbitrinm est tantum capax salutis, id est, gratiæ, ibi enim habet se pure passive, id quod dictum est de gratia, hæreticus Carolostadius torquet ad opera meritoria.

De. XV. Non sunt Pelagiani ecclesiastici Patres, neque scholastici, non enim negant peccatū originale, non dicunt hominem ex puris naturalibus salvari, sed constanter affirmant gratiā necessariam. Imò oportet gratiam prævenire operationē liberi arbitrij. Et recte asserit meritum congrui sicut de Cornelio Centurione liquet cujus eleemosynas Deus respexit & gratiam contulit Spiritus sanctus: *Act.10*. Non ergo sumus novi Pelagiani, sed hæreticus est antiquus stupidus stoicus & Manichæi, posthumus Lutherus cum Corolostadio, Urbano & Billiciano.

DE ORATIONE & HORIS CANONICIS. XXX.

Quia Lutherus docuit omnia fieri absoluta necessitate, abstulit liberum arbitrium plures ejus sequaces contra expressas scripturas negant orandum esse, quia Christus pro nobis sufficienter oraverit.

Luc. 11. Mat. 6. DIscipuli dixerunt ad Christum, Domine doce nos orare, & ait illis, cum oratis dicite: Pater noster qui es in cœlis, &c.

Et dimissa turba JEsus ascendit in montem solus orare. Ipse autem secedebat in desertum & orabat. *Mat. 14. Mar. 6.*

Factum est autem illis diebus exijt in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei. *Luc. 5.*

Et ascendit in montem ut oraret, & factum est dum oraret species vultus ejus altera. *Luc. 9.*

Luc. 22. Mat. 26. Positis genubus ora-

orabat dicens: Pater ſi vis, transfer calicem iſtum à me. Et factus in agonia prolixus orabat.

Mat 14. Orate autem ut non fiat fuga veſtra in hyeme vel ſabbato.

Mat. 24. Videte vigilate & orate, neſcitis enim quando tempus ſit.

Mar. 13. Orate pro perſequentibus & calumniantibus vos.

Mat. 5. *Luc.* 18. Oportet ſemper orare, & non deficere.

Ibid. Deus non faciet vindictam electorum clamantium ad ſe die ac nocte.

Mat. 26. Orate ne intretis in tentationem.

Act. 4. Et cum oraſſent, motus eſt locus in quo erant congregati.

Act. 1. Et orantes dixerunt: Domine qui noſti corda hominum. &c.

Ibid. Hi omnes erant perſeverantes unanimiter in oratione, cum mulieribus & Maria matre JEſu & fratribus ejus.

Act. 13. Tunc jejunantes & orantes, imponentésque eis manus dimiſerunt illos.

Act. 14. Et cum constituissent illis per singulas ecclesias presbyteros, & orassent cum jejunationibus, commendaverunt eos domino. Quod ergo Apostoli avide petierunt scire, Christus docuit & imperavit, ac facto implevit, Discipuli quoque & Christiani primitivæ ecclesiæ sedulo fecerunt, nullo pacto est à Christiano intermittendum.

Mat. 17 *Mar.* 9. Hoc autem genus dæmoniorum non ejicitur, nisi per orationem & jejunium.

Mat. 21. Quæcunque petieritis in oratione credentes, accipietis.

Act. 10. Orationes tuæ & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei.

Et Petrus quidem servabatur in carcere, oratio autem fiebat sine intermissione ab ecclesia ad Deum pro eo.

Rom. 13. Obsecro ergo vos fratres per Dominum nostrum JEsum Christum, & per charitatem Sancti Spiritus, ut adjuvetis in orationibus vestris pro me ad Deum.

2. Cor. 3. Quoniam & adhuc eripiet (de periculis) adjuvantibus vobis in oratione pro nobis.

Philip. 4. Nihil solliciti sitis, sed in omni oratione & obsecratione cum gratiarum actione, petitiones vestræ innotescant apud Deum.

1. Thes. 1. Gratias agimus Deo semper pro omnibus vobis, memoriam vestri facientes in orationibus nostris sine intermissione.

Col. 4. Orationi instate, vigilantes in ea, in gratiarum actione, orantes simul & pro nobis, ut Deus aperiat nobis hostium sermonis ad loquendum mysterium Christi. Hinc invocatur Maria in principio sermonis.

Act. 6. Nos verò orationi & ministerio Chtisti instantes erimus. Nota orationem præponit prædicationi.

4. Reg. 20. Dixit Esaias ad Esechiam, præcipe domui tuæ, morieris & non vives, qui oravit dicens: Obsecro domine memento quæso quomodo ambulaverim coram te in veritate & corde perfecto,

& quod placidum eſt coram te fecerim. Infra: Hæc dicit Dominus Deus David Patris tui, audivi orationem tuam &c.

Eccleſ. 18. Non impediaris orare ſemper.

2. *Par.* 20. Joſaphat ait: Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, ut oculos noſtros dirigamus ad te.

2. *Cor.* 13. Oramus Deum, ut nihil mali faciatis.

2. *Theſ.* 3. Orate pro nobis, ut ſermo Dei currat, & clarificetur.

1. *Tim.* 2. Obſecro primum omnium fieri obſecrationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus qui in ſublimitate conſtituti ſunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate. Hic mos à Sancto Paulo uſque in hunc diem ſervatur in eccleſia, ut in fine ſermonis oretur pro ſtatibus eccleſiaſticis & ſæcularibus, pro pace, pro vivis & mortuis, &c.

1. *Tim.* 2. Volo viros orare in omni

loco,

loco, levantes puras manus ſine ira & diſceptatione Ex veteri ergo & novo teſtamento liquet, quòd utile & neceſſarium ſit orare, pro omni bono contra omne malum.

Paucos hos locos ex mille delegimus. Vide Pſalmos.

Qui repugnant orationi Vviclephitæ & Lutherani, aſſimilantur gigantibus contra Deum pugnantibus. *Eccleſ.* 16. Non exoraverunt pro peccatis ſuis antiqui gigantes, qui deſtructi ſunt confidentes virtuti ſuæ.

Horas canonicas ab eccleſiaſticis obſervandas oſtenditur.

Pſal. 118. Septies in die laudem dixi tibi, ſuper judicia juſtitiæ tuæ.

Dan. 6 Daniel ingreſſus eſt in domum ſuam, & feneſtris apertis in cœnaculo ſuo contra Hieruſalem, tribus temporibus in die flectebat genua ſua & adorabat. Ecce ſtata orandi tempora.

Act. 3. Petrus & Joannes aſcendebant in templum ad horam orationis nonam.

Act. 10. Aſcendit Petrus in ſuperiora

ut oraret circa horam sextam. Ecce Apostoli observarunt solitas orationis horas apud Judæos, & hos secuta ecclesia.

Act. 15. Moyses à temporibus antiquis habet in singulis civitatibus, quæ eum prædicent in synagogis, ubi per omne Sabbatum legitur, inquit S. Jacobus, & hodie faciunt Judæi: Ignominiosum foret ecclesiæ tacere canente synagoga. Tria capitula leguntur à Judæis omni die. Exod. 13. in tribus partibus, & Deuteron. 9. Rabbi Moses. Erubescat Christianus qui non laudat Deum. *Rab. Mo.*

Eccle. 3. Omnia tempus habent, & suis spacijs transeunt universa sub sole. *1. Cor. 14.* Et cum omnia in nobis honeste & secundum ordinem fieri debere præcipit Apostolus, cur laudes divinæ non haberent suum tempus?

Iosue. 6. In hujus figura Hiericho corruit, quando Sacerdotes septem buccinis circumierunt clangendo septies.

Sic buccinis horarum canonicarum, corruunt machinæ diaboli.

Con-

Continuus Ritus orandi.

1. Par. 23. Nota cantica Ecclesiæ desumpta esse ex Biblia, non tamen secundum translationem Hieronymi quia jam utimur, sed septuaginta, ut liquet in introitu Lætare Hierusalem, quod confer cum ca. 66. Esaiæ, ibi: Lætamini Hierusalem. Sequitur igitur ista cantica fuisse in missa ante Hieronymum.

Cyprianus testatur, de expositione orationis dominicæ, horas canonicas etiam in veteri testamento observatas ex Daniele, sed nobis Christianis præter horas antiquitus observatas orandi nunc & spatia & sacramenta creverunt. Sub lege erat hora tertia sexta & nona, ecclesia addidit matutinas, primam, vesperas, & completorium, ut sic justitia nostra plus abundaret, quam Scribarum & Pharisæorum. *Mat. 25.* Mysteria horarum vide ibidem.

Institutæ sunt enim horæ ad laudandum Deum pro beneficijs suis, inter quæ maxima sunt beneficium creationis septem diebus expletum Genesis. 1. Et Bene-

ficium redemptionis ſeptem quodammodo horis peractum.

Julianus Imperator apoſtata, tranſtulit ritum pſallendi & Horas Canonicas ad Paganos, ut honeſtas eccleſiæ non eſſet admirationi gentibus. Teſtis Caſſiodorus in hiſtoria tripartita.

Hieronymus de virginitate ſervanda ad Demetriadem. Præter pſalmorum & orationis ordinem, quod tibi hora tertia, ſexta, nona, ad veſperam, media nocte & mane ſemper eſt exercendum ſtatue, quot horis ſanctam ſcripturam ediſcere debeas.

Idem in epitaphio Paulæ de ordine monaſterij, inquit: Mane, hora tertia, ſexta, nona, veſpere noctis medio, per ordinem Pſalterium cantabant.

Baſilius de inſtitutione vitæ religioſorum cap. 2. Horæ à ſanctis viris precibus ad Deum ac laudibus dicatæ, ſequendæ ſunt. Ait enim magnus David: Media nocte ſurgebam ad confitendum nomini tuo, ſuper judicia juſtitiæ tuæ. Rurſus ait: Veſpere & mane, & meridie. *Pſal. 118. & 54.*

Chry-

Chrysostomus homilia. 59. Matutinas orationes compleverunt. Infra: Tertiam, sextam, nonam, & vespertinas orationes celebrant, cum pluribus similibus.

Dist. 91. ca. Presby. Agathense concilium. Presbyter mane matutinali officio expleto, pensum servituris suæ, videlicet primam, tertiam, sextam, nonam, vesperamque persolvat.

Augustinus ad inquisitiones Januarij. Sine dubitatione faciendum est maxime id quod de scripturis defendi potest, sicut de hymnis & psalmis canendis & ipsius Domini & Apostolorum habemus exempla Hoc autem non fit nisi in horis Canonicis.

De Matutinis Horis.

Psal. 118. Media nocte surgebam ad confitendum tibi.

Ibid. Memor fui nocte nominis tui Domine.

In noctibus extollite manus vestras in sancta, & benedicite Domino.

Psal. 133. & 6. 91. Lavabo per singulas noctes lectum meum.

Bonum est confiteri Domino & psallere nomini tuo altissime, ad annuntiandum mane misericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem.

Exo. 12. Factum est in noctis medio, percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti.

Mat. 25. Media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit. Ecce media nocte Deus laudandus est, hæ enim sunt vigiliæ Christianorum & monachorum, ait Hieronymus. Sic enim cladi Ægyptiorum non miscebimur, sed sponso venienti læti occurremus.

Psal. 81. Præveni in maturitate & clamavi.

Mat. 26. Ioan. 18. Christus dum media nocte orat in monte Oliveti, à Juda proditur, à Judæis capitur.

Act. 16. Media autem nocte Paulus & Silas adorantes laudabant Deum. Infra: Subito terræmotus factus est magnus. Si ergo *David*, Prophetæ, Christus, Apostoli, media nocte oraverunt ad Dominum, cur Lutherani pigri & sternutan-

tes

tes hæretici, irrident religiosos ad matutinas surgentes quia vanum sit ante lucem surgere, quasi promiserit dominus coronam profunde dormientibus.

Act. 12. Petrus media nocte liberatus de Carcere Herodis.

Chrysostomus Constantinopoli contra Arrianam perfidiam auxit in nocturnis, hymnis, orationes, author Cassiodorus lib. 10. historiæ tripartitæ cap. 8.

Nu. 3. Tribus Levi jussa fuit specialiter servare custodias noctis filiorum Israel, ante tabernaculum testimonij. Specialiter ergo jam religiosi vigilent in matutinis, pro salute Christianæ plebis.

Abeat ergo Vigilantius & Lethargici hæretici cum Lutheranis, vigilias & matutinas contemnentes.

De Nocturnis & Laudibus.

Institutio solennis officiandi à sancto Marco dicitur incœpisse in Alexandria, quæ postmodum ad alias defluxit ecclesias, testatur Philo Judæus, renarrat Evsebius eos novos composuisse hymnos, libro.

libro. 2. ca. 17 & de nocturnis officiis & Psalmorum lectione. Testis etiam Cassiodorus. Si ergo Marcus hoc ordinavit in Alexandria, profecto hoc à S. Petro habuit, sicut & suum Evangelium: ideo Hieronymus vocat eum interpretem.

Duodecim Psalmos ordinatos fuisse testatur Cassianus, & totidem lectiones ex novo & veteri testamento.

Concilium Laodicense noluit Psalmos continuari, sed lectiones interseri.

Sanctus Hieronymus Psalterium aptissime divisit, jussu Damasi, ut magna varietas orandi cessaret. Tres nocturni & laudes in una vigilia canuntur loco quatuor vigiliarum, cum caro infirma sufferre non sufficeret, continuam vigilandi observantiam. Laudes Deo persolvuntur, quod cum omnis creatura in laudem Dei solvatur, culpabilis esset homo rationis capax, qui id facere negligeret. Prophetiæ assumptæ sunt supra Psalmorum usum, quod omnes prophetiæ Christum scopum habuerunt & Christus in synagoga apparuit & legit Esaiam *Luc. 4.*

Evan-

Evangelia quoque certa, certis diebus & festis fuerunt à tempore Apostolorum accommodata, & annua observantia custodita. Augustinus in prologo super canonicam Joan. Interposita est solennitas sanctorum dierum, quibus certas ex Evangelio lectiones oportet in ecclesia recitare, quæ ita sunt annuæ, ut aliæ esse non possint, ordo ille quem susceperamus necessitate paululum intermissus est.

Augustinus necessarium ponit certa in festis legi Evangelia: Hæretici omnia confondunt Evangelia, omni die pro libito sumentes.

Libros Jonæ & Job certo tempore legi astruit Ambrosius lib. 5. Epistolarum, Epistola. 33.

Concilium Aphricanum cap. 13. decrevit, liceat legi passiones martyrum; cum anniversarij dies eorum celebrātur.

De Hymnis & Antiphonis & psallendi usu.

Mat. 26. Et hymno dicto, exierunt in montem Oliveti.

Col.

Col. 3. Verbum Christi habitet in vobis abundanter, in omni sapientia docentes & commonentes vosmetipsos in Psalmis, Hymnis, & canticis spiritualibus, & gratia, cantantes in cordibus vestris Domino. *Psal.* 99.

Psal. 64. Introite portas ejus in confessione, atria ejus in hymnis confitemini illi.

Psal. 118. Te decet hymnus Deus in Sion. Eructabunt Labia mea hymnum, cum docueris me justificationes tuas.

2. *Mac.* 10. Quibus gestis, in hymnis & confessionibus, benedicebant Dominum, qui magna fecit in Israel.

1. *Cor.* 14. Orabo spiritu, orabo & mente: Psallam spiritu, psallam & mente. *Psal.* 9. Psallite Domino qui habitat in Sion, psallam nomini tuo altissime in psalmis per totum.

Psal. 46. Psallite Deo nostro psallite.

Ephe. 5. Impleamini Spiritu Sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis, & hymnis & canticis spiritualibus, cantantes & psallentes in cordibus vestris, &c.

Psal-

Psalmus obsecrationem, Antiphona postulationem, Collecta orationem, Hymnus gratiarum actionem sonat. horum enim quatuor meminit Paulus. 1. *Tim.* 2.

Alexandriæ ortus psallendi alternus modus ut supra, à Crysostomo restitutus, per omnem ecclesiam receptus.

Concilium Toletanum. *De cons. di.* 1. *c. de Hym.* dixit de hymnis canendis, & Jesu Salvatoris, & Apostolorum habemus exemplum.

Idem concilium Isidoro præside. Ne aliquibus nostra diversitas apud carnales vel ignaros schismatis errorem videatur ostendere, & multis extet in scandalum varietas ecclesiarum: Unus igitur ordo orandi atque psallendi â nobis per omnem Hispaniam atque Galitiam conservetur.

Augustinus ad inquisitiones Ianuarij. Si quid per loca ecclesiarum regionúmque variatur, faciat quis, quod in ecclesia in quam venerit, invenerit, non enim quicquam eorum contra fidem est, nec contra mores fit. Vide eum est pulcher.

Psal. 44. *Esa.* 6. Varietas ecclesiarum in divinis officijs, non impedit, sed ornat, quia astitit regina à dextris tuis, circumdata varietate, modo non sit tanta varietas, ut videatur inducere errorem schismatis.

Isidorus. Antiphonas Græci alternis choris cecinerunt, velut duobus seraphin ac testamentis invicem sibi clamantibus. Sanctus Ambrosius Græcos imitatus, apud Latinos antiphonas instituit: testis tripartita historia.

Ignatius primus per visionem doctus angelorum, antiphonas Antiochiæ instituit.

Apoc. 4. Et quatuor animalia requiem non habebant die ac nocte, dicentia; Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens. Ad angelorum imitationem ecclesia se exhortatur ad cantum, in præfatione dicens: Cœli cœlorúmque virtutes, ac beata seraphin socia exultatione concelebrant cum quibus & nostras voces ut admitti jubeas deprecamur, suplici confessione dicentes: Sanctus, sanctus.

Luther egregiè hic desipit. Cum enim passim rejiciat constitutiones humanas, hic ne videatur totus pigritare, horas canonicas non rejicit omnino, sed pro suis apostatis & periuris, permittit ut tres duntaxat psalmos pro matutino sumant officio, tres pro vespertino.

Paulus Corinthios, Ephesios & Colossenses docuit cantum vocalem in hymnis & psalmis.

Objiciunt Hæretici.

1. Non omnis qui dicit mihi Domine Domine, inrrabit in regnum cœlorum. *Mat.* 7.

2. Si orationes valerent, tunc Deum necessitarent.

3. Si orariones essent utiles, tunc alia bona opera essent superflua.

4. Scit pater vester quid opus sit vobis antequam petatis eum, frustra ergo orant. *Mat.* 6.

5. Ego Deus & non mutor, *Mala.* 3. ergo oratione non fle[illegible]itur.

6. *Mat.* 6. Orantes nolite multum loqui

loqui ſicut ethnici faciunt, putant enim quod in multiloquio ſuo exaudiantur. Ideò oratio non ſit prolixa.

7. Sacerdotes poſſent aliquid utilius facere, quam murmurare tot pſalmos, & quid melius & Deo placentius. Ita argumentantur aliquando tepidi auditores Theologiæ.

8. In Biblia horæ canonicæ non præcipiuntur clero.

9. Nihil eſt in eccleſia legendum, niſi verbum Dei. In orationibus autem mulra alia continentur, etiam fabuloſa de Sanctis.

Reſpondent Catholici.

De. I. Chriſtus hic non prohibet orationem, ſed hypocritam qui verbis orat Deum, non factis, excludit à regno cœlorum, quales ſunt hæretici factis Deum impugnantes.

De. II. Deus omnium rerum ſupremus arbiter, à nemine neceſſitatur, attamen pijs orationibus fidelium pulſatus, gerit ſe per modum neceſſitati, velut ait

Moſi

Mosi roganti: Dimitte me, ut irascatur furor meus, *Exo.* 32. quasi prohibitus petit se dimitti.

De. III. Oportet illud facere (orare) & alia non negligere, adeò jejunium non est superfluum nec eleemosyna, ut sublevetur his oratio in cœlum, velut pennis. Hieronym.

De. IV. Fatemur Deum præscire, nec narramus ut ignoranti, sed rogamus ut potentem, subvenire. Oratione itaque id petimus, quod Deus disposuit nos medio orationis esse consecuturos. Vult enim rogari Deus, ne vilescat datum.

De. V. Deus oratione non mutatur per essentiam, sed effectus mutatur. Unde oratio nostra non ordinatur ad immutationem divinæ dispositionis, sed ut obtineatur nostris precibus, quod Deus disposuit ante sæcula donare, ut dicit Gregorius in lib. dialogorum.

De. VI. Non prohibetur multiloquium orationis simpliciter, sed sicut ethnici faciunt. Agustinus ad Probam inquit: Multiloquium prohibetur, non prolixi-

tas

tas seu duratio. Nam multum loqui, est rem superfluis agere verbis. Unde Patrum in Ægypto breves, sed crebræ erant orationes. Prolixe oravit Christus, *Luc*. 22. Prolixe oravit Anna & multiplicavit preces, 1. *Reg*. 1. Et Christus pernoctabat in oratione, *Luc*. 2. 6. Et Rabanus in Matthæum. Sicut hypocritarum est præbere se spectandos in oratione, quorum fructus est placere hominibus: Ita ethnicorum, i. gentilium, in multiloquio suo se putare exaudiri. Et revera omne multiloquium à gentibus venit, qui exercendæ linguæ potius quàm mundando animo dant operam. Et hoc nugatorij studij, vel rogatorij genus, etiam prece ad Deum flectendum transferre conantur, arbitrantes sicut hominem judicem, ita verbis Deum abduci in sententiam. Nolite itaque similes esse illis, dicit unus & verus Magister. Hæc ille.

De: VII. Isti sunt similes Naaman, qui meliores judicavit fluvios Damasci omnibus aquis Israël, 4. *Reg*. 5. Ut mun-

dare

daretur in eis, ſed propheta jubet, ut in Jordane lavetur ſi velit ſanari, ita ſi melior ſit lectio utriuſque teſtamenti, ſit ita, tamen in aqua lavandum eſt, ubi Magiſtri eccleſiæ jubent, in ſeptem horis canonicis. Sic cæcus juſſus adire natatoria, non dixit melius eſt ut orem, noſtrum eſt obedire præceptis, non pro arbitrio noſtro potiora eligere. Maledictus qui facit opus Domini negligenter. *Hier. 48. aliàs fraudulenter.*

De. VIII. In Biblia non præcipiuntur horæ canonicæ, ſed inſinuatur, & eccleſia à ſacris Magiſtris, id eſt Apoſtolis, hoc accepit. *Heb. 13.* Obedire autem oportet Præpoſitis. Contendis horas debere eſſe liberas, verum ſunt liberæ libertate Chriſtiana qua ſerviendum eſt Deo non autem libertate Mahumetica, qua quiſque facit vel omittit ſecundum deſideria prava cordis ſui.

De. IX. Contrarium fuit oſtenſum, etiam legendas ſanctorum in officijs divinis recitandas, ſimiliter homiliæ Patrum leguntur, & Collectæ orationum, in ſa-

cris

cris literis expresse non continentur. Agones verò invictorum Martyrum non rejicimus more Luthrano, modo fideliter sint conscripti, nam & in Biblicis scriptis aliqui continentur, ut Stephani, Jacobi, Pauli, &c. *Act. 7.* Alij à magnis quandoque viris sunt perscripti.

Coronis.

Lutherani & alij hæretici, explodentes ritum canendi, legendi, & orandi ecclesiasticum, atque juxta væsana eorum capita, novas conficientes formulas cantandi, missandi ac orandi. *Eusebius, li. 7. ecc.* faciunt sicut Paulus Samosatenus hæreticus, qui psalmos Christo dicatos cessare fecit, velut nuper inventos. In semetipsum autem compositos in die Paschæ in medio ecclesiæ canere mulieres, maxime quas prius instituerat, faciebat. Sic modo faciunt stulti hæretici cum suis cantilenis, & porcinis ac caninis novis ululantibus.

DE

DE PLURALITATE SACERDOTUM XXXI.

Hæretici calumniantur multitudinem servorum Dei, sacerdotum & monachorum.

SAnctifica mihi omne primogenitum quod aperit vulvam in filijs Israël, tam de hominibus quam jumentis, mea enim sunt omnia. *Exod. 13.*

Primogenitum filiorum tuorum dabis mihi. *Exo. 22.*

Primogenita quæ ad Deum pertinent, nemo sanctificare poterit & vovere. *Levi. 27.*

Ego tuli Levitas à filijs Israël pro omni primogenito quod aperit vulvam in filijs Israël, erúntque Levitæ mei. *Num. 3.*

Meum est omne primogenitum, ex quo percussi primogenita in terra Ægypti, sanctificavi mihi quicquid primum nascitur in Israël. *Ibid.*

Tolles Levitas mihi pro omni primogeni-

genito filiorum Israël. *Ibid.* Ecce in lege naturæ omnes primogeniti gaudebant privilegio sacerdotij, & in lege scripta, loco primogenitorum successit tota tribus Levi. Nunc non sunt tot sacerdotes & monachi quot sunt primogeniti.

Gen. 25. Dixit Jacob ad Esau: Vende mihi primogenita tua. Infra: Juravit ei Esau, & vendidit primogenita. In lege naturæ primogenitura erat magna, quia primogenitus accepit benedictionem à patre (& erat loco consecrationis) habebat potestatem benedicendi, vestem item specialem in qua offerebat, duplam portionem habebat in hæreditate & ferculis. Cesserunt ista omnia sacerdotio Aaronis primo, dein sacerdotio nostro, dempto eo quod sacerdotes non accipiunt duplam portioné hæreditatis, quia simpla eis invite redditur jam à laicis, vel omnino negatur.

Num. 3. Omnes Levitæ numerati à Mose in genere masculino à mense uno & supra, fuerunt viginti duo milia. Et infra: Recensuit Moses primogenitos filio-

liorum Iſraël, fuerunt maſculi à menſe uno & ſupra viginti duo millia ducenti 73. Infra: Loquutus eſt Dominus: Ego ſum Dominus. In pretio ducentorum ſeptuagintatrium, qui excedunt numerum Levitarum, de primogenitis filiorum Iſraël, accipies quinque ſiclos per ſingula capita, dabíſque pecuniam Aaron & filijs ejus, pretium eorum qui ſupra ſunt. Pondera primogenitos redemptos pecunia. Hinc nemo miretur ſi hodie in eccleſia ſimiles redemptiones fiunt, puta ut lacte veſcaris in jejunio contribuas ad hanc fabricam, eſt enim commutatio unius boni in aliud. Ceſſat ergo rudium argumentum, ſi eſt permiſſū vel juſtum cum pecunia, ergo etiam ſine pecunia. Hodie talis pecunia datur cõmuniter pauperibus vel eccleſijs, quomodo clamarẽt laici ſi daretur clero, ſicut juſſit hic Deus per Moſen

Numerati ſunt Levitæ à viginti añis & ſupra, & inventa ſunt triginta octo millia virorum Diſtribuuntur ibidem in cantores, janitores, præpoſitos, judices

& in plures sortes & classes. Cum autẽ tam parva fuerit Judæa, ut longitudo fuerit iter tridui. De latitudine, inquit Hieronym. in epistola ad Dardanum, pudet dicere Erubescat Christianus indevotus, qui contra multitudinem religiosorum conqueritur, cum multo major numetus servientium Deo fuerit in lege Moysaica. 2. *Reg.* 24. Nam cum populus Israël fuerit mille millia, & centũ millia virorum educentiũ gladium, (ita enumeravit Joab Israël) sequitur numerum Deo servientium, fuisse ferme. 28. ejus partem. Unde volentes minui clerum sunt Pharaones, qui populum Hebræum servientẽ Deo, voluit minuere.

DE DECIMIS ET ALIIS OBLATIONIBUS. XXXII.

DEcimas & primitias non tardabis offerre. *Exod.* 22.

Primitias frugum terræ tuæ deferes in domum domini Dei tui. *Exo.* 23.

Hoc erit judiciũ sacerdotum à populo,

lo, & ab his qui offerunt victimas. *Deu.* 18. dabunt ſacerdoti armum & ventriculum, primitias frumenti vini & olei, lanarum partem ex tonſione ovium.

Omnéſque primitiæ, quas offerunt filij Iſraël ad ſacerdotem pertinent. *Num.* 5. & quicquid in ſanctuarium offertur à ſingulis, & traditur manibus ſacerdotis, ipſius erit.

Moyſes & Aaron in ſacerdotibus ejus, hi tamen fuerunt ſupremi duces populi ex Ægypto.

Samuel ſacerdos ſecundum Bedam, aut ad minus Levita, teſte Hieronymo lib. 1. contra Jovinianum, fuit enim de tribu Levi, eodem teſte in 1. Reg. 15. is tamen fuit ſupremus judex Judæorum.

Tribus regalis Juda & ſacerdotalis connubia contrahebant, hinc *Luc.* 1. Elizabeth mater S. Joannis uxor Zachariæ ſacerdotis, cognata fuit Mariæ. 3. *Reg.* 1.

Sadoch ſacerdos unxit Salomonem regem. 1. *Reg.* 10. Samuel Saulem & Davidem. 1. *Reg.* 16. non mirum quod hodie Imperator à Papa, Reges ab archiepi-

ſcopis unguntur : ſic enim fieri debet, non ab epiſcopis.

4. *Reg.* 11. Joiada pontifex fecit regnare, & unxit Joas regem. 2. *Par.* 22. uxor Joiade fuit Joſabeth ſoror regis Ochoziæ.

2. *Par.* 26. Azarias pontifex reſtitit Oziæ rei invadenti officium ſacerdotale, qui lepra percuſſus fuit.

2. *Par.* 31. Ezechias præcepit populo in Hieruſalem, ut darent partes ſacerdotibus & Levitis, ut poſſent vacare legi domini.

1. *Eſdr.* 3. 5. Joſue pontifex templum reſtituit poſt captivitatem Babylonicam.

1. *Eſdr.* 7. Eſdras Levita à Rege Artaxerxe aurum & argentum obtinuit pro templo, & licentiam abeundi Judæis obtinuit.

Nee. 13. Cognovi (Neemias) quia partes Levitarum non fuiſſent eis datæ: & fugiſſent unuſquiſque in regionem ſuam, & egi cauſſam adverſus magiſtratus & dixi, quare dereliquimus domum Dei? & congregavi eos & feci ſtare in ſtationibus ſuis, & omnis Juda apportabat deci-

mam frumenti, vini & olei in horrea. Hic populus propter famem ortam recusavit dare decimas Levitis, ideò cogebantur recedere de templo. Sic faciunt mali laici, dicentes: Cur dabo sacerdoti? ego egeo pro me & pueris.

1. Mach. 8. Machabæi fortissimi fuerunt sacerdotes & duces bellorum.

Decimas Deus sibi reservavit debitas, in signum universalis dominij. *Genesis. 4. Exodi. 22. Leviti. 27. Deut. 12. & 26. Tobiæ. 1.*

Deut. 14. Decimam partem separabis de cunctis frugibus tuis, &c. ut discas timere Dominum Deum tuum in omni tempore. Ergo impij sunt, non timentes Deum qui non dant decimas debitas.

Levi. 27. Omnes decimæ terræ, sive de frugibus, sive de pomis arborum, Domini sunt. Omnium decimarum bovis, & ovis, & capræ quæ sub pastoris virga transeunt, quicquid decimum venerit sanctificabitur Domino, non eligetur nec bonum nec malum. Ecce minutas decimas, sed pro intelligentia ultimi.

Num. 18. Omnia quæ offeretis ex de-
cimis & in donaria Domini separabitis,
optima & electa erunt cuncta, & non pec-
cabitis super hoc, egregia vobis & pin-
gvia reservantes, ne forte polluatis obla-
tiones filiorum Israël, & moriamini. En
pœna mortis manet eos qui studiose dete-
riora dant.

Mala. 3. Si affigit homo Deum, quia
vos configitis me, & dixistis: In quo con-
figimus te? in decimis & primitijs. En
non dans decimas assimilatur crucifixo-
ribus Christi, & Deo injuriam facit non
solum sacerdoti. Hiero.

Et in penuria vos maledicti estis. *Ma-
la. 3.* Ecce pœna eorum qui non dant de-
cimas, vel infideliter, hinc venit omni-
um rerum inopia, attende tempora no-
stra, ubi omnia sunt cara.

Augustinus. Cum decimas dando,
cœlestia & terrena possis promereri, pro
avaritia tua, dupli benedictione frauda-
ris, hæc est domini justissimi consvetu-
do, ut si tu illi decimam non dederis, tu
ad decimam revoceris dabis, impio mili-
ti

ti quod non vis dare ſacerdoti. 16. q. 1. cap. decimæ.

Auguſtin. Decimæ ex debito requiruntur, & qui eas dare noluerunt res alienas invadunt.

Dignus eſt operarius mercede ſua. *Luc.* 10.

Quis militat unquam proprijs ſtipendijs? *1. Cor.* 9

Non alligabis os bovi trituranti. *Deut.* 25.

Si nos vobis ſpiritualia ſeminavimus, magnum eſt ſi nos carnalia veſtra metamus. *1. Cor.* 9.

1. Cor. 9. Et qui altario deſerviunt cum altario participant.

1. Cor. 10. De Collectis autem quæ fiunt in ſanctos, ſicut ordinavi in eccleſijs Galatiæ, ita & vos facite per unam ſabbati. Collectæ iſtæ fiebant in uſum pauperum Hieroſolymis & prædicatorum: & hodie Chriſtiani in Græcia ſub Turca nutriunt Patriarcham & clerum ex collectis, unde à colligendo oratio in miſſa collecta dicitur, licet & aliæ ſint rationes myſticæ.

Posteaquam reges & principes submiserunt colla fidei, & inclinaverunt cervices signo crucis, donationes & dotationes beneficiorum in locum collectarum successerunt.

Melchi. Silvester Papa. 12. q. 1. c. Futuram ecclesiam in gentibus Apostoli prævidebant, idcirco prædia in Judæa minime sunt adepti, sed pretia tantummodo ad fovendos egenos, meminit postea donationis Constantini, de qua 96. distinctione Constantinus, & quomodo viri religiosi incœperunt possidere prædia, ascribitur Melchiadi canon, in vetustis est Silvestri.

Ioan. 13. Quidam enim putabant, quia loculos habebat Judas, quod dixit ei Jesus, eme ea quæ nobis opus sunt ad diem festum, &c. Aug. ibidem: Habebat ergo & dominus loculos & à fidelibus oblata conservans, & suorum necessitatibus & alijs indigentibus tribuebat, tunc primum ecclesiasticæ pecuniæ forma est instituta, ubi intelligeremus quod præcepit non cogitandum de crastino. *Plato & alij.*

alij. Non ad hoc fuisse præceptum, ut nihil pecuniæ servetur à sanctis, sed neDeo pro ista serviatur.

Augustin. de sermone domini in monte. Docuit Christus exemplo suo neminem scandalizari, si ejus servi necessaria sibi procurent.

Sanctus Urbanus primus, martyr instiruit anteSilvestrum, ut ecclesia prædia ac fundos à fidelibus oblatos reciperet.

Auxerunt hoc martyres sequentes, Pontianus, Antherus, Fabianus, Cornelius, & cæt. usque ad Silvestrum.

Cassiodorus lib. 6. tripartitæ historiæ. Constantinus imperator disponens res clericorum, unicuique civitati prospexit, ut clerus sufficientia emolumenta perciperet, & hoc lege firmavit.

Malac. 3. Inferte omnem decimam in horreum meum, ut sit cibus in domo mea, & probate me super hoc, dicit dominus.

Ibidem. Si non aperuero vobis cataractas cœli, & effudero vobis benedictionem usque ad abundantiam, & increpa-

bo pro vobis devorantem, & non corrumpet fructum terræ vestræ, nec erit sterilis vinea in agro. Stulti laici timent ne minus habeant si decimas & oblationes præstent.

Augustinus. Antiqui patres ideò omnibus copijs abundabant, quia decimas dabant. Ergo timendum est eos non prosperari, qui religiosis etiam mendicitatem invident, & fratribus certum numerum præscribunt, ignorantes synagogæ largitatem, quæ tot milia Levitarum in singulos dies alebat.

Augustinus. Si decimam dederis, non solum abundantiam fructuum recipiens, sed etiam sanitatem corporis & animæ consequeris, non enim Deus præmium postulat, sed honorem,

Hinc ditissimi fuerunt principes & nobiles Germaniæ, quando abundanter dabant ecclesijs, monasterijs. Jam omnium rerum egestas est apud plebem & principes. Major fuit olim Abbatum Augiæ majoris sanctorum Galli & Camboduni splendor, quàm jam sit trium episco-

ſcoporum. Carolus Magnus anno Domini octingenteſimo decimotertio villam regalem Ulmam cum omnibus juribus & appenditijs & locis adjacentibus monaſterio Augiæ majoris tradidit. Carolus factus eſt magnus, quod in dotando eccleſias magnum ſecutus eſt Conſtantinum, qui fœlix ob tuitionem eccleſiæ dictus eſt ab Auguſti. lib. 2. contra Petilianum ca. 93. & ab Ambroſio libro Epiſt. quinto de obitu Theodoſij imperatoris. Caveant principes ne ſpoliando clerum, malint imitari impium Julianum Imperatorem apoſtatam, quam Chriſtianiſſimos principes Conſtantinum, Theodoſium, Carolum Magnum, ſanctum Henricum.

Caſſiodorus libro ſexto tripartitæ hiſtoriæ, Julianus clericis omnia privilegia, honores, conſvetudinéſque ſubtraxit, & leges poſitas pro eis ſoluit. Et rurſus: Omnes poſſeſſiones atque pecunias Cæſarienſium eccleſiatum, cum verberibus exquirens, ad medium juſſit afferri. Móxque eis trecentas auri libras

in

in ærario publico collocavit. Et post multa interea jubentur vasa ecclesiarum sacra, fisci ærario deputari, sublatisque januis majoris ecclesiæ fit cunctis accessibile sanctuarium. De Juliano constat, quod anno. 32. ætatis mortuus est, & imperavit anno duntaxat uno mensibus septem.

Satellitum suorum pœnas, Juliani, Felicis, Helvidij, Cassiodorus ubi supra prosequitur.

2. *Mac.* 3. Heliodorus cum templum Hierosolymis opulentissimum spoliare vellet, miraculo multis plagis & flagris afficitur, orante tamen pro eo Onia sacerdote, restituitur.

1. *Mac.* 1. Antiochus ascendit in Hierusalem, cum multitudine gravi, & intravit in sanctificationem cum superbia, & accepit altare aureum, & candelabrum luminis, & universa vasa ejus, mensam propositionis & libatoria, phialas, mortariola aurea, velum, coronas, & ornamentum aureum quod in facie templi erat, & comminuit omnia, & accepit aurum & va-

& vasa concupiscibilia, & accepit thesauros occultos quos invenit, & sublatis omnibus abijt in terram suam & fecit cædem hominum, & locutus est in superbia magna, & factus est planctus magnus in Israël & in omni loco eorum, & ingemuerunt principes & seniores, & juvenes & virgines infirmati sunt, & speciositas mulierum immutata est. Omnis maritus sumpsit lamentum, & quæ sedebant in thoro maritali lugebant & commota est terra super habitantes in ea, & universa domus Jacob induit confusionem. *2. Mac. 9.* De exitu suo scribitur. Contigit illum euntem de curru cadere, & gravi corporis collisione membra vexari, ita ut vermes de corpore ejus scaturirent, ac viventes in doloribus carnes effluerent, odore etiam illius & fœtore exercitus gravaretur, cum nec ipse jam fœtorem suum ferre posset. Infra: In monte miserabili obitu vita functus est.

1. Mac. 9. Alchimus volens destruere templum, dissolutus est paralysi, nec ultra potuit loqui verbum, & mortuus est illo tempore cum tormento magno.

2. *Mac. ult.* Nicanor cum triginta quinque milibus occisus est, caput ejus cum manu nepharia, quam extenderat contra domum sanctum omnipotentis Dei, abscissa, contra templum suspensa sunt, & lingva ejus particulatim divisa, avibus data est.

Dan. 5. Balthazar bibens in vasis templi eadem nocte interfectus est. & Darius Medus successit in regnum.

Thomas Cantuariensis pro juribus & prædijs ecclesiæ suæ occiditur, fratribus missam pro defunctis apparantibus, angeli astant & intonant lætanter. Lætabitur justus, &c. Caveant igitur principes consiliarios, qui pro utilitate regni & tuitione dominij consulunt (propter extremam necessitatem) ecclesias spoliari.

Iud. 9. Sichemitæ dederunt. 70. pondo argenti de fano Baal Berit Abimelech, qui conduxit sibi ex eo viros inopes, & vagos, hoc fecit ut principatum obtineret. Sed mulier jaciens fragmentum molæ, illisit capiti Abimelech, & confregit cerebrum ejus.

4. *Reg.*

4. Reg. 16. Achas rex collegit argentum & aurum, quod inveniri potuit in domo domini, & in thesuuris regis, & misit regi Assyriorum, ut eum salvaret de manu regis Syriæ, & regis Israël. Hoc fecit impius rex, idololatra, non contẽtus præsidio Dei sibi ab Esaia promisso.

Esa. 7. Boni igitur principis officium fuerit, clerum amare & defendere, privilegia concessa servare integra ac ecclesijs & ecclesiasticis sua bona relinquere. Hæreses verò & hæreticos quàm remotissime à finibus suis coercere, in quo & sibi & subditis pacem & tranquilitatem parabit, & vitam cum Christianissimis veteribus principibus merebitur æternam.

DE ECCLESIIS ÆDIFICANDIS, ET ORNATU EARUM. XXXIII.

ECclesiam Dei contemnunt hæretici, & ornamentum ejus auferunt: Anabaptistæ omnino nullas habere volunt: resuscitant hæresim Massili..norum,

rum, quorum meminit Augustinus in sermone contra Arrianos, Sagarelli & Wiclephistæ hunc secuti sunt errorem, contra scripturas expressas.

Ait Jacob: *Gen. 28.* Vere dominus est in loco isto, & ego nesciebam: terribilis est locus iste, non est hic aliud, nisi domus Dei & porta cœli, & vocavit nomen loci Bethel. i. domus Dei. *Deut. 16.* Non poteris immolare phase in qualibet urbium tuarum, sed in loco quem elegerit dominus Deus tuus, ut inhabitet nomen ejus ibi.

David fatetur: *1. Par. 17.* Factus est sermo domini ad me dicens: Multum sangvinem effudisti, & plurima bella bellasti: non poteris ædificare domum nomini meo, tanto effuso sangvine coram me: filius qui nascetur tibi, erit quietissimus: ipse ædificabit domum nomini meo. Vide quanta cura Deus providit templi ædificationem, quã non voluit fieri à bellatore, sed à pacifico Salomõe.

Dixit Deus: 2. *Reg.* 7. Ambulabam in tabernaculo & in tentorio per cuncta

loca,

loca, quæ transivi cum filijs Israël. Ecce qui est ubique ambulavit in tabernaculo.

1. Reg. 5. Salomon ædificavit templum, misit per singulos menses decem milia virorum in Libanum qui cederent ligna, septuaginta milia qui onera portabant, & octo milia latomorum: præpositorum operis tria milia trecenta.

3. Reg. 6. Domum ante oraculum operuit auro purissimo, & affixit laminas clavis aureis: nihilque erat in templo quod non tegeretur auro, sed & totum altare oraculi texit auro. Infra: Texit Cherubin auro. Infra: Pavimentum domus texit auro intrinsecus, & extrinsecus: *3. Reg. 7.* fecit Salomon omnia vasa in domo domini, altare aureum, & mensam super quam ponerentur panes propositionis auream, & candelabra aurea quinque ad dexteram & 5. ad sinistram ex auro puro lucernas aureas, forcipes aureos, & hydrias, & fuscinulas, & phialas, & mortariola, & thuribula de auro purissimo, cardines ostiorum erant ex auro.

3. Reg. 8. Dominus dixit, ut habita-

ret

ret in nebula. Ædificans ædificavi domum, & habitaculum tuum firmiſſimum inquit Salomon.

Salomon ait: *2. Par. 6.* Dominus pollicitus eſt, ut habitaret in caligine, ego autem ædificavi domum nomini ejus, ut habitaret ibi in perpetuum.

Ibi pro te. Deus magis propitius & citius exaudit orationes in loco ſacro, quàm extra.

Ioſue. 9. Gabaonitæ juſſu Joſue facti ſunt cæſores lignorum in uſum templi.

Cum veniſſet rex David, & ſediſſet coram Domino. i. arca. *1. Par. 17.* Vides præſentationem uni loco, quam alij, quia in arca erat ſacratior locus.

Daniel quando non poterat orare in templo, quia erat in captivitate Babylonica, oravit tamen ter in die, facie verſus ad templum in Hieruſalem. *Dan. 6.*

1. Eſd. 1. Cyrus rex qui geſſit perſonam Chriſti, dedit licentiam reædificandi templum Judæorum: *1. Eſdr. 6.* Darius conceſſum à Cyro confirmavit: & Judæi ædificaverunt, & proſperabantur juxta prophetiam Aggæi & Zachariæ.

Esa. 56. Domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis, ait Dominus Deus. *Mat. 21.* Quod Christus confirmat de templo materiali dictum, unde ejecit vendentes. Vos autem inquit, fecistis eam speluncam latronum. Sic multi gubernatores faciunt ex ecclesijs speluncas hæreticorum.

Mat. 21. Homo plantavit vineam, & ædificavit turrim, & locavit eam agricolis. Vinea fuit Judæorum synagoga, turris templum, sed quia filium occiderunt, fuit vinea locata alijs agricolis Christianis: *Heb. 7.* & sicut sacerdotium fuit transferendum, ita & templum in ecclesias Christianorum.

Judæi dixerunt Christo super Centurionem: *Luc. 7.* Diligit gentem nostram, & synagogam ipse ædificavit nobis. Christo placuit ædificatio synagogæ, quomodo ei non placeret ædificatio ecclesiæ? *Act. 3.* Petrus & Joannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam. Vide ut Apostoli in veteri templo orarint, cum nondum ecclesias haberent Christiani. Aug. li. 3. de doctrina Christiana.

Objurgavit S. Paul. Chriſtianos, *1.Cor 11.* qui cœnis & convivijs eccleſias confundebant: unde poſſimus dicere hæreticis, quod Paulus illis temerantibus: An eccleſiam Dei contemnitis?

Tempore Apoſtolorum cœptæ ædificari eccleſiæ, *Act. 14.* Sic Paulus & Barnabas conſtituerunt per ſingulas eccleſias presbyteros, in quibus Paulus præcepit mulieres tacere. *1. Cor. 14.*

Ibidem. Intrans infidelis vel idiota in eccleſiam cadens in faciem, adorabit Deum, pronuntians quod vere Deus in vobis ſit.

S. Joannes moriturus juſſit ſe ferri in eccleſiam. Hiero. ſuper epiſt. ad Galat.

Act. 10. S. Paulus vidit Cornelij domum quæ facta fuerat eccleſia, & ſimiliter. *Act. 21.* ædiculas Philippi, & cubiculum quatuor virginum, meminit Hieron. in vita S. Paulæ.

Aug. Multis locis teſtatur Auguſtinus, ædificare eccleſias eſſe actum latriæ, quem ſoli Deo debet fides grata fidelium, quare ſanctis non ædificantur, nec conſecran-

ſecrantur templa, ſed Deo, in memoriam & venerationem ſanctorum, libro vigeſimo contra Fauſtum, & lib. 22. de civitate Dei contra Maximum. & pleriſque alijs locis.

Cautiones ſunt epiſco. altaria & templa conſecrantes, qui in titulis inſcriptionis ſemper Deum præmittunt, honorem ſanctorum dehinc nectentes. Actus enim latriæ, ſervitus eſt ſoli Deo debita, non ſanctis, licet in eccleſijs & altaribus ſanctos quoque veneremur, & eorum celebremus natales ac memorias. *Aug.* Qui chriſtianas literas utriuſque teſtamenti ſciunt, non hoc culpant in ſacrilegis ritibus Paganorum, qui conſtruunt templa, & ſacerdotia inſtituunt, faciunt ſacrificia, ſed quia hæc idolis & dæmonijs exhibent. Ad Deo gratias. q. 2.

Aug. Per eccleſiarum fabricas & quoſlibet neceſſarios uſus, dæmones ab his pelluntur, quos prius ut proprios poſſidebant, de concordia evangeliorum.

Templum ſynagogæ fuit ornatiſſimum.

Exo. 23 Ab omni homine, qui offer ultroneus accipietis. Infra: Aurum & argentum & æs, hyacinthum & purpuram coccúmque bis tinctum, &c. Oleum ad luminaria, aromata in unguentum, thymiamata boni odoris, lapides onychinos & gemmas. Infra: Area fuit deaurata intus, & foris de auro purissimo. Vectes superdúcti auro in quatuor circulis aureis: propitiatorium de auro purissimo. *Exo. 26.* Cherubin aureos, mensa deauratata, cum labio aureo, & quatuor circulis aureis: acetabula, phialæ, thuribula, & cyathi de auro purissimo, candelabrum de auro purissimo, & emunctoria, cortinæ tabernaculi de bysso, hiacyntho, purpura ac cocco bis tincto, cum quinquaginta ansulis & circulis aureis. Ipsa tabulas deaurabis. Et fundes in eis annulos aureos, & cæt. Vide alia in textu.

Exo. 28. Facient superhumerale de auro, hiacyntho, & purpura, opere polymito. Sumes duos lapides onychinos inclusos auro, cælatura gemmarum sculpes eos, facies uncinos ex auro: & duas

catenulas auri puriſſimi, &c. In rationali pones quatuor ordines lapidum, ſardium, topazium, ſmaragdum, carbunculum, ſaphyrum, jaſphidem, Jugurium, achatem, amethyſtum, chryſolium, onychinum & berillum: facies in rationali duas catenas aureas, & duos annulos aureos: tyntinnabula item aurea in tunica: laminam auream in vitta hiacynthina.

Exod. 30. Dabunt ſinguli filij Iſraël pretium pro animabus ſuis, dimidium ſcilicet ſicli ſanctuarij.

Exo. 31. Ad hæc omnia ſuperiora & multo plura perficienda, Deus implevit Beſeleel ſpiritu Dei ſapientia ſcientia & intelligentia in omni opere, quicquid fabrefieri poterat in auro, argenteo & marmore & gemmis, deditque ei ſocium O oliab.

Exo. 35. Omnia ſuperius præcepta executus eſt populus, & obtulerunt mente devota atque promptiſſima primitias domino, &c. Omne vas aureum in donaria domini ſeparatum eſt, ut dicerent

artifices Moisi: *Ex.* 20. Plus offert populus quam necessarium est unde prohibitus fuit populus, plus offerre.

3. *Reg.* 6. Æque pretiosa fecit Salomon.

Num. 7. Principes Israël obtulerunt in dedicatione tabernaculi, acetabula argentea duodecim, phialas argenteas duodecim, mortariola aurea duodecim, habebant duo milia siclorum & quadringentos de argento, & de auro siclos centum & viginti, boves duodecim, arietes duodecim, agnos duodecim pacific. boves. 24. arietes. 60. hircos 60. agnos. 60. *Nu.* 22. 29. oblationes quotidianæ, sabatariæ in calendis in Pasc. in Pentecost. in festo tubarum, expiationis tabernaculorum per octo dies numerantur accurate per Moisen.

1. *Esd.* 5. Cyrus rex vasa aurea ablata per Nabuchod. restituit.

1. *Esd.* 6. Darius rex providit de impensis oblationum.

1. *Esdr.* 7. Artaxerxes rex similiter, & permisit ut Esdras colligeret ex universa provincia Babylonis, ut populus daret, quod

quod vellet ad portandum in Hierusalem. Sic ergo per se non visitantes S. Jacobum possunt mittere donaria, sic de alijs locis sacris.

1. Esd. 8. Esdras appendit in manus sacerdotum aurum & argentum, & vasa quæ obtulerat rex & consiliarij ejus & principes ejus & universus Israël, eorum qui inventi fuerant. Et appendit auri talenta centum, crateres aureos viginti, argenti talenta sexcenta quinquaginta.

Nee. 10. Statuemus super nos præcepta, ut demus tertiam partem sicli per annum ad opus domus Dei nostri, ad panes propositionis, & ad sacrificium sempiternum.

Luc. 21 Dives templum non damnatur accipere etiam à paupere vidua, ornatus sui incrementa.

Christianissimi principes immensas fecerunt sacrosanctis ecclesijs donationes & largitiones amplissimas, & ut vasa sacra, excepta redemptione captivorum, nullo pacto distrahantur aut impignorentur,

ſtatuit Imperator. Conſtantinus magnus eccleſiam Lateranenſem extruxit.

Et quòd patrimonium eccleſiæ permaneat illæſum.

Exo 32. Hæretici non lætantur in corporali eccleſia, quia ſunr hoſtes ſpiritalis eccleſiæ.

Hæretici faciunt ſicut Judæi, quibus difficile erat dare inaures ad ornatum Dei, tamen prompte dederunt ad vitulum aureum. Ita Regentes hæretici conqueruntur de impenſis templi & ſacerdotum catholicorum, ſed quod dant ampla ſtipendia perverſis vitulis hæreticorum & ſeductoribus, in hoc ſunt prompti.

Hæretici eccleſias damnant, ſed criptas & ſpeluncas amant, ut Hieronymus pulchre inducit in Abacuc, & Ambroſius multa ſuper Paulum ad Ephe. 5. & ſuper Lucam li. 5. Hoc experti ſumus in catabaptiſtis.

Verificatur in hæreticis illud Chriſti: *Mat.* 23. Ecce relinquetur vobis domus deſerta. Eccleſia enim deſerta, ipſi quærunr ſpeluncas. Si

Si dixerint vobis, Christus in deserto est, nolite exire: *Mat.* 24. Ecce in penetralibus est, nolite credere. Ita Anabaptistæ jam sæpe convenerunt in nemoribus & privatis conventiculis, quærentes Christum, ubi non est.

Faustus hæreticus negavit sensibilia templa, altaria, incensa, simulachra & sacrificia, ea sola posuit in cœlestibus.

Augustinus lib. 20. contra eundem, hujus infelices hæredes sunt hæretici nostri temporis.

Donatistæ quoque combusserunt ecclesias Christianorum. Augustinus ad Bonifacium comitem: Vide quos duces sequantur hæretici, Donatistas, Manichæos, Sagarellos, Massilianos, Wiclephistas, Hussitas, Pikardos, & si quid his est deterius.

¶ *Objiciunt hæretici incendiarij & sacrilegi.*

1. Stephanus dicit: *Act.* 7, Excelsus non habitat in manufactis.

2. Paulus ait ad Athenienses: *Act.* 1. Hic cœli & terræ cum sit dominans, non

in manufactis habitat templis, nec mabus colitur humanis.

3. Deus est in omni loco, neque ostenditur locus in quo Deus sit proprie præsens, sed ubique suos exaudit precatores. Itaque ecclesiæ nihil conferunt.

4. Paulus ait: *2. Tim. 2.* Volo viros orare in omni loco, levantes puras manus.

5. Christus dixit de templo: *Mat. 24.* Amen dico vobis non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruatur.

6. *Ioan. 4.* Veri adoratores adorabunt patrem in spiritu & veritate.

7. Hieremias inquit: Nolite confidere in verbis mendacij, dicentes: templum domini templum domini est: *Hier. 7.* ubi Hieron. Nolite habere fiduciam in ædificiorum splendore, auratísque laquearibus'

8. Hironym. ad Nepotianum: Nunc paupertatem domus suæ pauper dominus dedicavit, contra divitias templi Salomonici.

9. Persius inquit: At vos dicite pontifices, in sancto quid facit aurum? Nempe quod Veneri donatæ à virgine Puppæ.

¶ Respondent fideles Ecclesiæ ministri.

De. I. Deus non est in templis, uti paganiæstimabant, non enim habitat Deus in templo, ibi circumscriptus per essentiam, sed ibi habitat per abundantiorem gratiam. Salomon docet hanc solutionem. *2. Par. 6.* Ergo ne credibile est, ut habitet Deus cum hominibus super terram. Si cœlum & cœli cœlorum non te capiunt, quanto magis domus ista, quam ædificavi? Sed ad hoc tantum facta est, ut respicias orationem servi tui, &c.

De. II. Similiter, nisi quod hæreticus truncatim allegat verba Pauli, nec manibus colitur humanis, indigens aliquo: Non ergo colitur Deus à nobis, ut ope nostra egeat.

De. III. Ista fuit ratio impij seductoris, & idololatræ regis Hieroboam, ut Josephus testatur. *li. 8. c. 12* Deus est ubique, sed in uno loco vult orari & honorari plus quàm in alio, unde falso Hieroboam eis persvasit, ne longo itinere fati-

gati orarent. *3. Reg. 12.* Quod nostri etiam hæretici dicunt contra peregrinationes ad limina sanctorum, quare hæretici nostri sunt Hieroboitæ, sicut ille noluit Judæos ascendere in Hierusalem.

De. IV. In omni loco, scilicet competenti, orandum est. Ambrosius hoc dixit, quia alioqui falso existimabant extra ecclesiam non orandum.

De. V. Recte templum Judæorum erat destruendum, sed sicut eorum sacerdotio successit sacerdotium evangelicum, ita & eorum templo successerunt nostræ ecclesiæ, sacrificia, &c.

De. VI. Veri adoratores in ecclesiis adorant patrem in spiritu & veritate, nam quid repugnaret ecclesiæ, quod non repugnaret nemori, aut spurcis antris hæreticorum.

De. VII. Hieremias ibi expresse testatur locum à Deo electum. Inquit enim: Et habitabo vobiscum in loco isto, *Hier. 7.* Et vult sanctitatem templi non prodesse, quando non faciant bonas vias. Additum Hyeronymi, qui etiam seipsum declarat,

clarat, de ſplendore perverſorum dogmatum.

De. VIII. Hieronymus bene taxat ornatum eccleſiæ, neglectis pauperibus, nam ornare eccleſias ipſe reputat laudabile, & ob hoc laudat Nepotianum. Erat ſollicitus, ſi niteret altare, pavimenta forent terſa, ſi vaſa lucentia, & in omnes ceremonias pia ſollicitudo diſpoſita. Comparat eum deinde Beſeleel & Hiram.

De. IX. Egregie adducitur Perſius, cum hæretici ex nobis claras poſtulent ſcripturas, ipſi etiam poëtas ethnicos nobis obtrudunt, uti Luthe. patriarcha hæreticorum fecit, quando voluit probare omnia evenire de abſoluta neceſſitate, adduxit poëtam. Certa ſtant omnia lege. *Luther.* Tam validis præſidijs ſua muniunt hæretici.

Perſium nos non recipiamns quoniam Deum non novit. Et ipſe neſciet eum, cum omnibus hæreticis anathemate percuſſis.

DE CHARACTERE. XXXIV.

CRedit ecclesia & fideles in tribus sacramentis imprimi animæ quoddam signaculum, quod character nominatur scilicet in baptismo, confirmatione & ordine.

Ephe. 4. Nolite contristare spiritum sanctum, in quo signati estis in die redemptionis vestræ.

Ephe. 1. In quo & vos, cum audissetis verbum veritatis, Evangelium salutis vestræ in quo & credentes signati estis, spiritu promissionis sancto, quod est pignus hæreditatis vestræ, &c.

Liquet fideles in regeneratione baptismi signari à spiritu sancto, ut sic oves Christi ab alijs secernantur.

Hieron. Explicat verba Pauli. Signaculum Dei est, ut quomodo primus homo conditus est ad imaginem & similitudinem Dei, sic in secunda regeneratione quicunque spiritum sanctum fuerit consecutus, signetur ab eo, & figuram conditoris accipiat. *Hie-*

Hiero. Signati sumus spiritu Dei sancto, ut & spiritus noster & anima, imprimantur signaculo Dei. Et infra: Hoc signaculum sancti spiritus juxta eloquium Salvatoris, Deo imprimente signatur. Hunc enim ait, signavit Deus pater. Et infra:

Ioan. 6. Qui idcirco signatur, ut servet signaculum, & ostendat illud in die redemptionis, purum atque syncerum, & nulla ex parte mutilatum, & ob id numerari valeat cùm his, qui redempti sunt.

Ecce character manet usque in diem judicij.

Ath. 8. Super Ephe. 1. Judæi ex circuncisione sunt, belluarum more, carnis signaculo excepto, notis inusti, sed vobis ut Dei filijs, supra quàm carnis patiatur conditio, spiritus impressum est signum. Idem Ephe. 4. Spiritus nos obsignavit, esséque de regio grege fecit, atque is nequaquam astare nos sinit cum sontibus & damnatis, sed signum impressit secrevitque, ut redempti & liberi ab istiusmodi ira essemus.

Esa 66. Et ponam in eis signum & mittam ex eis qui salvati fuerint, ad gentes in mare, in Aphrica, &c. prævidit propheta Apostolos & discipulos mittendos gentibus, s. qui habeant signum Dei, characterem.

Character Hieron. sententia præfiguratus fuit in sanguine agni, quo superliminare & uterque postis signatus est, ut transiret angelus percutiens. *Exo. 12.*

Figuratus etiam fuit character per Tau. Ezech. *Ezch. 9.* Signa tau super frontem virorum gementium & dolentium super cunctis abominationibus quæ fiunt in medio ejus. Infra: Deinde super quem videritis Tau, ne occidatis. Ita Christus in baptismo merito sanguinis sui signat postes animæ, ut animæ à diabolo liberentur.

Accedentem ad baptismum divina majestas in sui comertium intus admittit, eique lucem suam perinde ac signum aliquod tradit, sanctum efficiens & sanctorum ordinis participem. *Dionys. de eccl. hier.* Ecce characterem lucem nominat cap. 2. part. 3. Nunc

Nunc per baptiſma primitias ſpiritus ſ. accipimus & initium alterius vitæ fit in nobis. i. primitiæ regenerationis, & ſignaculum, & tutela, & illuminatio, & ſanctificatio. Ecce ſignaculum characterem cap. 10.

Auguſti. *li. 6. contra Donatiſ.* Satis illuxit paſtoribus eccleſiæ, & ovem quæ foris errabat & dominicum characterem à fallacibus deprædatoribus foris acceperat, venientem ad Chriſtianæ unitatis ſalutem, ab errore corrigi: characterem tamen dominicum in ea agnoſci potius quod improbari, quandoquidem ipſum characterem multi & lupi & lupis infigunt, loquitur de baptizatis ab hæreticis, denuò ad eccleſiam redeuntibus. cap. 1.

Auguſt. *In epiſtola ad Donat.* Et vos oves Chriſti eſtis characterem Dominicum portatis in ſacramento quem accepiſtis. Epiſtola. 204.

Auguſti. *Tract. 5. ſuper Ioan.* Baptizatus ſi non habet charitatem, characterem quidem impoſitum habet, ſed deſertor vagatur.

Cha-

Character imprimitur in tribus sacramentis, scilicet Baptismo, Confirmatione & Ordine.

Gregor. Quod dicitis, ut qui ordinatus est iterum ordinetur, valde ridiculum est, ut enim baptizatus semel, iterum baptizari non debet, ita qui consecratus est semel, in eodem ordine non valet iterum consecrari.

August. Utrunque (baptismus & ordo) sacramentum est, & quadam consecratione utrunque homini datur, illud quum baptizatur, & illud quum ordinatur, ideò non licet in ecclesia catholica utrunque reiterari.

2. Cor. 1. Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, & qui unxit nos Deus, & qui signavit nos, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris.

¶ Objicit Lutherus.

1. Character est res ficta, quam ignorat scriptura.

2. Quomodo aqua posset imprimere tale signum in anima.

¶ Re-

§. *Respondet Catholicus.*

De. I. Character non est res à patribus ficta, sed spiritu sancto doctore homines Dei eum intellexerunt, ut ex Paulo ostensum est.

De. II. Aqua non imprimit tale signum in anima, sed Deus imprimit, ad præsentiam aquæ baptismalis, assistente sua omnipotentia sacramentis. Et in hoc Christiani excedunt Judæos, nam nos habemus signaculum spiritus, ipsi habebant signaculum carnis.

DE TRANSSUBSTANTIATIONE. XXXV.

ANte concilium Nicenum non utebatur ecclesia nomine consubstantialitatis homousij: sed præpter hæreticos coacta fuit acceptare, similiter persona.

In sacramento Eucharistiæ, substantia panis convertitur in substantiã corporis Christi. Sic quòd non manet substantia panis. Luc. 22. Accepto pane gratias egit & fregit, & dedit eis dicens: Hoc

Hoc est corpus meū. Concordat Matt. Mar. & Paul. ecce panem accepit, sed peracta benedictione appellât corpus suum, quod fit nisi versione sua.

Nullus Evangelista dicit cum hoc, aut in hoc, sed hoc est corpus meum, expende quid demonstrat hoc. Alphonsus de hæresib.

Ioan. 6. Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Hoc non fit sine conversione.

Cyprianus: *De Cœna Domine.* Panis iste cōmunis in carnem & sangvinem mutatus procurat vitam. Et infra: Panis iste quem dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia verbi factus est caro.

Damascenus lib. 4. c. 14. Neque & hoc dictu promptū, quomodo natura conversionem panis & vini & aquæ per potionem in corpus & sanguinem comedenti, & bibenti transmutantur & non sit aliud corpus præter id quod prius erat ipsius: sic & propositionē panis viníq; & aquæ per invocationem, & adven-

ventum sancti spiritus supernaturaliter transmutatur in corpus & sangvinem Christi: & non sunt duo, sed unum & idem.

Ambrosius de mysterijs. Valebit sermo Christi, ut mutet species elementorum. *Lib. 4. de sac. ca. 4.*

Ambrosius. Panis iste panis est ante verba sacramentorum, ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi.

Non erat corpus Christi ante consecrationem, sed post consecrationem dico tibi, quod jam est corpus Christi, ipse dixit, & factum est. *Ibid.*

Ergo didicisti, quod ex pane corpus fiat Christi, & quod vinum & aqua in calice mittitur, sed fit sangvis consecratione verbi cœlestis. *Ibid.*

Ambr. Antequam consecretur panis est, ubi autem verba Christi accesserint, corpus est Christi. Infra: Ergo videte quantis generibus potens est sermo Christi universa convertere. *Ibi. c. 5.*

Chryso. Non sunt humanæ virtutis opera proposita: Qui tunc ipsa fecit in illa

cœna,

cœna, idem ea nunc quoque facit: Nos ministrorum tenemus locum: qui verò sanctificat ea & immutat ipse est. *Ambr. Cyril. Homil. 60. Ireneus.*

Aug. Nos in specie panis & vini quam videmus, res invisibiles. i. carnem & sangvinem honoramus.

Aug. de sententijs Prosperi. Fatemur ante consecrationem esse panem & vinum, quod natura formavit, post consecrationem verò carnem Christi & sangvinem, quod benedictio consecravit.

Gregor. Pastor bonus Christus animam suam posuit pro ovibus suis, ut in sacramento nostro corpus suum & sangvinem verteret, & oves quas redemerat, carnis suæ alimento satiatet. *In Homil. Ego sum pastor.*

De Mystica Vita Moysi vide supra.

Greg. Nissenus. Invisibilis sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis & sangvinis sui, verbo secreta potestate convertit dicens: Accipite hoc est corpus meum. Gratianus tribuit Emisseno de consecrat. dis. Quia corpus.

Greg. Species & similitudo illarum re-

rum vocabula sunt quæ antea fuerunt scilicet panis & vini. *Mat. 26.*

Theophyl. Quum benedixisset fregit panem, quod & nos facimus, preces adjungendo, hoc est corpus meum. Hoc inquam quod sumitis: Non enim tantum figura est corporis dominici panis, sed in illum convertitur corpus Christi. *Mat. 14.*

Theophyl. Joan. 6. transformatus namque archanis verbis per mysticam carnis benedictionem in carnem domini. Et infra: Igitur & nunc panis in carne domini mutatur, scilicet eo vivente panis nutritione mutabitur in carnem, & similis fiebat sanctæ carnis ejus. Igitur & nunc panis in carnem domini mutatur. Theophilus, panis in corpus Christi transmutatur, & in panem. Et infra: Panem & vinum in veritatem convertet, carnis & sangvinis.

Transsubstantiatio est possibilis, formavit igitur dominus hominem de limo terræ, ecce Deus limum mutavit in carnem. *Gen. 2.*

Ædifiavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem.

Ecce os costæ convertitur in mulierem. *Ibid.*

Respiciens uxor Loth post se, versa est in statuam salis. *Gen. 19.*

Projicit Moyses virgam, & versa est in colubrum. *Exo. 4.*

Percutiam virga aquam fluminis & vertetur in sangvinem. *Exo. 7.*

Cum aliis adductis per Ambrosium de mysteriis.

Exodi. 16. Manna erat quasi semen coriandri, & tamen dicitur panis. Psalmo, 77. & 104.

Diabolus agnovit hujusmodi virtutem mutatricem in Christo: Si es filius Dei, inquit, dic ut lapides isti panes fiant.

Christus de quinque panibus pavit quinque millia hominum, quod fecit panem multiplicando, idem nunc totam ecclesiam fidelium pascit uno pane corporis sui sacramentaliter *Ioan. 6.*

¶ Objicit Lutherus

Substantia panis manet in eucharistia, quia scriptura nominat panem.

Erant autem perſeverantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis. *Act. 2.*

Panis quem frangimus nonne participatio corporis domini eſt? *1. Cor. 10.*

1. Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. 1. *Cor. 11.*

2. Evangeliſtæ quoque appellant panem.

3. Euchariſtia aſſimilatur ferro ignito, in quo manet & natura ignis & ferri: ſic in euchariſtia manet natura panis & natura corporis Chriſti.

¶ Reſpondet Catholicus.

Nulla creatura, maxime irrationalis, digna eſt miſceri cum benedicto corpore Chriſti, alioquin verbum aſſumeret paneitatem in unitatem ſuppoſiti. Luther autem nondum oſtendit nobis in ſcripturis verbum panis factum eſt. Ideo ſtandum ſententiæ concilii c. firmiter, de ſumma trini. &c. cum Marthæ de cel. miſſ.

Cyril. Ne horreremus carnem & ſangvinem appoſita ſacris altaribus, infun-

fundis

fundit oblatis vinum vitæ convertens ea in veritatem propriæ carnis.

Ambrosius. Licet figura panis & vini in altari videatur, nihil tamen aliud quàm caro & sangvis Christi credenda est.

De. I. Quod Lucas & Paulus Eucharistiam nominant panem, non intelligatur per naturam, sed quadruplici rationi.

Proverb. 23. panis mendacij: non erat panis natura.

1. Quia ante conversionem fuit panis, similiter coluber dicitur virga, quia fuit virga. Sed devoravit virga Aaron virgas eorum.

2. Propter species panis & accidentia, sicut imago nominatur ab imagine, sicut Salo. fecit boves & leunculos, &c. quia fecit imagines eorum. *Exo.* 7. *&* 4. 3. *Reg.* 7. 3. *Reg.* 10.

3. Eucharistia etiam dicitur panis, quia in ea est panis vivus qui de cœlo descendit. *Ioan.* 6.

4. Ratione corporis Christi, quo dicitur panis apud Hier. mittamus lignum in panem ejus, lignum crucis miserunt in corpus Christi. *Hiere.* 11.

De.

De. II Evangelistæ panem appellant ante consecrationem, sed ea peracta appellant corpus Christi.

Ireneus. Post invocationem non est panis communis, sed est ex re terrena, & cœlesti. lib. 4.

De. III. Ferrum non convertitur in ignem, unde ferrum non est ignis, sed ignitum, quia calorem tam fortiter in densitate sua suscepit, ut etiam spendor in eo reluceat. Erubescat itaque Luther venerabilissimum sacramentum, ferro ignito comparare, cum substantia ferri maneat, panis autē non in eucharistia.

Ambr. dicente, licet figura panis & vini videatur, nihil tamen aliud quam caro Christi & sanguis post consecrationem credendum. Hic apertè negat panis substantiam, cum affirmet nihil aliud hic esse quam carnem Christi & sanguinem.

MISSAS LATINE NON GERMANICE DICENDAS. XXXVI.

Principaliores lingvas tempore Christi

sti fuisse tres, s. Hebraicam, Græcam & Latinã, titulus indicat cruci Christi affixus, in quibus Deus non imerito laudatur, & præcipue in his lingvis divina persolvuntur officia. *Mat.* 27. *Ioan.* 19.

Non negamus tamen Indis Australibus permissum, ut in lingua sua rem divinam facerent quod clerus eorum hodie observat, ut vidimus & audivimus ipsi licet mysteria missæ, cum non possent Italicè interpretari ex eis habere non potuimus. *Romæ*. Identidem aliqui de lingua Sclavonica latissima testantur, à Hierony. impetratum, uti Mechlovieñ. in Cronica Polonorũ testatur, in memoria hominum, Cracoviæ in sacello S. crucis (si recte nominis memini, nam librum non habeo ad manus) Sclavonicè missas celebratas, at gens hujus linguæ dudum cessit huic privilegio, & se Latinæ conformat ecclesiæ.

Et quia in tribus lingvis principalibus titulus triumphalis Christi scriptus est, ut adhuc videtur Romæ ad S. crucem in Hieru, licet aliquot literis multũ caducis,

ducis. Ita non mirum, Latinam ecclesiam in ſacris myſterijs, & linguæ ſanctæ & Græcæ uti voculis.

Hebra. ſunt alleluja, laudate deum, Oſanna. Eja ſaluifica. *Aug. Pſal. 106.*

Amen, fiat, vel in veritate ſic eſt, fideliter.

Sabaoth, exercitus, virtutes.

Kyrie eleiſon, Domine miſerere. Chriſte eleiſon, Chriſte miſerere. Agios ô theos yskiros, athanatos eleiſon ymas: ſanctus Deus, fortis, immortalis, miſerere nobis. Cur eccleſia aliqua Hebr. ſervaverit, rationem reddunt Orig. & Aug. *Greg. lib. 9 regiſtri epiſtola. 8.*

Quod aliqui ajunt à Græcis Latina uſurpata in miſſa mihi non conſtat. Deſcripſi miſſam Græcam ex li. Archiepiſcopi Rodiorum, & alteram ſcripſit mihi Ioannicius Corcyreñ. Baſilianus, & omnes actiones ac ritus per ordinem pluribus etiam diebus oſtendit, at hujus nullus meminit, licet hoc Remigio tribuatur.

Et ſi Itali vulgare ſuum habeant & Græci, neutris tamen lingva vernacula miſſa

celebratur, sed erudita & docta, adeo ut non sit necessarium varia sectari idiomata linguæ.

Mos ecclesiæ rationabilis de missa Latina in ecclesia Latina.

1. Quia sic missa celebrata est ante mille annos, quando Germania christianismum accepit, ubi urgentior apparet subfuisse ratio, Missas Germanicè legendi, pro novella plantatione, & tamen viri sanctissimi, miraculis clari usum eclesiæ Latinæ observarunt.

2. Magnam pareret confusionem, ut ad nos adventantibus, Italis, Hispanis, Gallis, Anglis, Hungaris, Bohemis, &c. missæ nostræ actionem non intelligerent, & omnes omnibus Barbari esse viderentur, & missa contemptui haberetur.

3. Et nedum confusio fieret diversarum nationum, sed & scandalum in eadem natione. Nam in eadem Germania, illi una utuntur vocula, alij alia, & quod in una parte honestum, in alia turpe significat. Et pronuntiandi diversitas in Germania, tantam induceret dissonantiam, ut esset Babylone confusior. 4.

4. Magna quoque fieret tanto myſterio irreverentia, ſi adeò vulgaris efficeretur, ut paſſim per compita, per tonſtrinas irrideretur, & bene potis convivijs, velut jam in locis fit Lutheranis, & olim paſtores igne de cœlo dilapſo, divino judicio puniti ſunt. Ideo ſæpe Dionyſius ingerit, quomodo magiſtri fidei, hoc eſt Apoſtoli, diligentiſſime curaverunt, ne ſancta ſanctorum efferent coram prophanis, & ideo ſumma illa & ſuperſubſtantialia, partim ſcriptis, partim non ſcriptis inſtitutionibus nobis tradiderunt. Itaque ſatius eſt in eccleſia catholica, miſſam legi in lingvis Latina & Græca: nam gentium plenitudo, quæ eccleſiam intravit, ſub his duabus linguis prævaluit ſapientia & potentia. Ideo antiquus mos populi Dei, ut Auguſtin. ad Ianuarium inquit, pro lege habendus eſt. Verba conſecrationis cum quibuſdam alijs ſecrete in miſſa dici eccleſia conſtituit, cum & pontifex ſolus & ſemel in anno intravit in ſancta ſanctorum, an non ſacratiora ſunt myſteria fidei noſtræ? *Heb.* 8.

Arcebantur Judæi à loco ſacratiori, & velum erat ante eos, non mirum eccleſiam prohibuiſſe, ne laici propius aſſiſterent celebranti, quo liberius hoc ſacrum ſecretum perficiat c. 1. de vita & honeſt. clericor. Hinc & altaria cortinis & tabulis velari ſolent, ut ſacerdos meminerit ſe accedere ad ſecreta myſteria Dei tractanda. *Exo. 26. 27.*

Luther in præceptorio dure tractat eos, qui volunt canonem miſſæ altiori voce legendum, ut intelligatur: Cur ergo, ut miſſa intelligatur, modo vult eam Germanice & altiſſima voce legi. Adeò parum ſibi conſtat hæreticus. *Luther ſibi repugnat.*

Chriſtus in ſilentio oravit & ſecrete & ſecedens à diſcipulis. *Mat. 26. Luc. 22.*

§. *Objiciunt Hæretici.*

Paulus prohibet Corinthijs, ne in eccleſia loquantur lingua quæ non intelligatur, ait enim: Quis ſupplebit locum idiotæ? quomodo dicet Amen ſuper tuam benedictionem? quoniam quid dicas, neſcit. *1. Cor. 14.* Por-

Porrò ſi latinè legitur miſſa, laici non intelligunt.

Et ita nullus eſt fructus hujus auditionis, ac ſi ad parietem fieret ſermo.

§ *Reſpondent Catholici.*

Ad verba Pauli in homilijs noſtris oſtendimus, orationem etiam non intellectam eſſe meritoriam. Homil. 3. Rogationum.

Quod ad miſſam torquent hæretici, reſpondemus, Paulum loqui de Propheta. i. interprete & doctore ſcripturarum, ſic enim Propheta hic uſurpatur, ut Hiero. & Aug. teſtantur. Fruſtra ergo Germanis quis prdicaret in lingua ignota, at de miſſa nullam facit hic mentionem Paulus: liquet ex verbis Pauli. Sed in eccleſia volo quandoque verba ſenſu meo loqui, ut & alios inſtruam, expende inſtruam, quod fit prædicatione, non celebratione miſſæ. Vide Homil. ubi ſupra. *1. Cor. 14.*

De. II. Etſi laici non intelligant verba, tamen intelligunt omnia myſteria, quæ ab incunabulis vel parentum traditione, vel Curatorum prædicatione, hauſerunt:

ideo jam flectendo genua, jam assurgendo, jam inclinando, jam pectoris tunsione, ac crucis signatione, accommodant se celebrationi missæ. Unde ipsa actio externa ostendit eos plus inteligere de mysterio Missæ, quæ si Cice. Livius & Varro latine doctissimi, auscultarent verba de mysterijs ipsis non instructi.

De. III. Non est inutilis missæ auditio, etiam verbis non intellectis ob sequentia.

1. Quoniam in missa sacra scriptura in usum recipitur, sed per eam spiritus sanct. loquitur, eámque cordibus instillat quibuscunque linguis. *Ionn.* 10.

2. Sacerdos in missa est communis minister totius ecclesiæ, ideò omnes missæ auditores fidutiam suam reponere debent in fide ecclesiæ catholicæ, nam illa plus placet Deo, ut sponsa dilectissima, quam cujuscunque privati hominis fides. 1. *Cor.* 14.

3. Scopus missæ, nulli auditori missæ subtrahitur, sive intelligat aut minus. Nam finem missæ & præcipuam ecclesiæ in-

intentionem novit, ſiquidem ſacrificiũ illud offerri pro vivis & mortuis, in memoriam paſſionis & mortis Chriſti, ad laudem Dei, ad ædificatioem eccefiæ, ad honorem divæ Mariæ & omniũ ſanctorum. Quid ſi illa intelligentia laici, ita devotione acuetur, ut præcellat multorũ verba miſſæ aride intelligentium, prudentiam? Conſtat enim orantis devotionem aliquando impediri poſſe, nimia verborum attentione.

4. Etiam ſi myſteria ſacratiſſimæ miſſæ in lingua vernacula non pandantur: Sufficit quod in homilijs ac declamationibus ad plebem ſecundum conſvetudinem eccleſiæ hæc explanentur, ubi populus in fide & moribus inſtruitur, nulli omnino ſaltem pio ac frequenti verbi Dei auditori, intelligentia myſteriorum miſſæ ſit abſcondita, nec muto quidem & ſurdo. Ita miſericors Deus vult omnes homines ſalvos fieri.

Concludamus ergo Germanis ſufficere miſſam Latinam, quum ſint de Latina eccleſia, quũ enim tres ſint linguæ prin-

cipales Hebraica, Græca & Latina. Et non sine mysterio Pilatus Christi titulum his exaraverit ignorans, & nos reverenter mysteria salvatoris sub his agnoscere debemus & magnitudinem mysterij, velut Augustinus, Albinus, Isidorus, Beda & alij testantur.

DE PRIVATIS MISSIS. XXXVII.

ERant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, & comunicatione fractionis panis, & orationibus. Et infra: Quotidie quoq; perdurantes unanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione: quod licet de comuni cibo possit intellegi: tamen glos. intelligit de sacramento, in fractione intelligitur communio. Et panis quem frangimus, none participatio corporis domini est? non autem erant in una domo, cum erant fideles in ascensione 120. In die Pentecostes addebantur 3000. & mox 5000. *Act. 2. 1. Cor. 10. Act. 1. & 2. Act. 4.*

Alexander I. Papa & martyr permittit ſacerdoti, ſi neceſſe ſit, duas miſſas celebrare: unam pro defunctis, aliam de die. Is permiſit uni ſacerdoti duas miſſas in eadem eccleſia, quarum illa pro defunctis erat privata. *C. ſufficit de con. di. 1.*

Sic ſcribit Honorius tertius, omnibus prælatis eccleſiarum, ut ſingulis diebus fiant miſſarum ſolennia pro anniverſarijs defunctorum, & de tempore ſeu feria. *C. cum crea. de cel. miſ.*

Si duæ miſſæ neceſſariæ, alias liberas minimè excludet.

Ideo Agatheñ. concilium miſſas peculiares non prohibuit de S. Trinitate, de S. Michaele, ſed ſolum, ut miſſa de die non omittatur propter miſſam ſpecialem. *C. quidam Laicorum cotit.*

Teleſphorus Papa & martyr conſtituit ter fieri ſacrum in nativitate domini, c. In nocte de conſe. diſt. 1. Et Innocentius 3. c. conſuluiſti de cel. miſ. *Glo. Pſ. 138.*

Sother Papa & martyr conſtituit ut nullus presbyter miſſarum ſolennia, niſi duobus præſentibus ſibique reſponden-

 tibus

tibus, ipſe tertius habeatur, c. hoc quoque ſtatutum de conſ. diſ. 1. non prohibuit privatam miſſam, ſed modum præſcripſit.

Concilium Laodicenſe prohibet ne oblationes fiant in domibus. *C. 58.* Itaque non prohibet in eccleſijs privatas miſſas: quod etiam alijs conſilijs cavetur.

Agatheñ. concilium. Si quis etiam extra parochias, in quibus legitimus eſt ordinariúſque conventus, oratorium in agro habere voluerit, reliquis feſtivitatibus ut ibi miſſas teneat propter fatigationem familiæ, juxta ordinem permittimus. Paſcha verò, Natali domini, Epiphania, Aſcenſione domini, Pentecoſte, & natali S. Joannis Baptiſtæ, & ſi quæ maxime dies in feſtivitatibus habentur, non niſi in civitatibus audiant aut parochijs. Clerici verò ſi qui in feſtivitatibus, quas ſupra diximus, in oratorijs, niſi jubente aut permittente Epiſcopo, facere aut tenere voluerit, à communione pellantur.

VI. Synodus. Clerici qui miniſtrant in oratorijs, quæ intra domos ſunt, faciant

aut hoc cum consensu Episcopi, c. clericos de conse. dist. 1.

Concilio Aurelianeum. cum ad celebrandas missas in Dei nomine convenitur, en in pluralitivo numero missas. Cap. 22.

In historia tripartita: Cum populus illic congregaretur (Ad Basilicam Anastasiam) ad missas, mulierem cadentem de superiori porticu, túmque communi oratione facta super eam, revixisse. Pondera ad missas. *Li. 9. c. 59.*

Leo ad Dioscorum Alexandrinum: Jubet sacrificium ob multitudinem plebis convenientis, reiterari, ne quædam pars populi sua devotione privetur. *Epi. 9.*

Eadem ratione, cum non sit comodum sub una hora universum populum convenire per occupationes & actionum divisiones, præstat plures celebrari missas. *Li. 9. ca. 8.*

In historia tripartita. Gregorio Nazianzeno facto Episcopo Constantinopoli, is intra civitatem in paruo oratorio sacra faciebat.

Sic ſanctus Conradus in capella privatas miſſas celebravit ad lacum Brigatinum. S. Ulrichus Auguſtæ in capella privata.

Sic ſanctus Wolfgangus ſupra lacum capella ædificata, miſſas privatas celebravit, Hinc tot capellæ eccleſijs cathedralib. adhærent, ut Canonici privatim celebrantes, plebem à miſſarum ſolennijs in magnis feſtis non abſtraherent. Hinc regum & principum ſacerdotes privatim eis celebrantes, Capellani dicti ſunt.

Concilium Triburieñ. Eccleſia combuſta, licet in capellis cum tabula conſecrata miſſas celebrare, c. concedimus de conſe. diſt. 1.

Johannes cognomento eleemoſynarius Patriarcha Alexandrinus, corripiens populum in foro fabulis intentum tempore ſacrificij, dixit ad eos: Ubi oves, illic eſſe debet & paſtor: aut introite in eccleſiam, & ero vobiſcum: aut ſi hic manetis, vobiſcum & ego maneo: propter vos in eccleſiam deſcendi, poteram mihi metipſi in epiſcopio miſſas dicere.

Ecce miſſam privatam in epiſcopio.

Gregorius in registro ad Castorium. Missas illic publicas in monasterio per Episcopum fieri omnino prohibemus, ne in servorum Dei secessibus popularibus illa præbeatur occasio tumultibus. *Cap. 87.*
Mavult ptivatas missas monachorum, quam publicam Episcopi in monasterijs. Si una tantum missa publica celebranda esset in una ecclesia, tunc frustra fuisset constitutum in concilio Urbico, ne in altari in quo Episcopus missam cantasset, eodem die sacerdoti missam celebrare liceret de conse. dist. 2. can. in altari. *Idem mandat lib. 5. episcopo pisauren. c. 146. & lib. 6. c. 176.*

Gregor. in vita S. Benedicti. Moniales excommunicatæ à Benedicto, in ecclesia sepultæ sunt. Cúmque missarum solennia in ecclesia celebrarentur, Diacono clamante: Si quis non communicat, det locum: Visæ sunt à nutrice è sepulchris suis progredi & exire. Loquitur de missis quæ solent per trigesimum, aut quadragesimum celebrari post obitum, ubi in singulis solent fieri oblationes. Sicut hæc

hæc nutrix quotidie fecit oblationes pro monialibus mortuis. *Li 2. c. 23.*

Gelaſius Papa Epiſcopis per Brutios conſtitutis, & Lucaniam, &c. comēndat quod in eccleſijs ſine conſenſu Apoſtolico erectis, miſſas ſuſpenderint. Nota Miſſas, de conſec. diſt. 1. præcepta.

Joh. Papa permitittit ſpectabili fœminæ megaciæ, ut in eorum oratorio, defunctorum ſolummodo nomine divina celebrentur officia, hæc autem non fiebant niſi privatis miſſis, c. certum de conſec. diſt. 1.

Aug. Vir tribunitius Heſperius, qui apud nos eſt, habet in territorio Suffalenſi fundum Zubedi appellatum, ubi cum afflictione animalium, & ſervorum, domum ſuam ſpirituum immundorum vim noxiam perpeti comperiſſet, rogavit noſtros me abſente presbyteros, ut aliquis illorum illò pergeret, cujus orationibus cederent: perrexit unus obtulit ibi ſacrificium corporis Chriſti: orans quantum potuit, ut ceſſaret vexatio illa, Deóque miſerante protinus ceſſavit. *Li. 22. de civit. Dei ca. 8.*

Au-

August. lib: 19. confessionum. Dixit Monica ad suos: tantum illud vos rogo, ut ad domini altare memineritis mei ubi fueritis. Et infra: Cum ecce elatum est corpus, neque in eis precibus, quas tibi fundimus cum offerretur pro ea sacrificium pretij nostri, jam juxta sepulchrum posito cadavere priusquam deponeretur, sicut illic fieri solet, flevimus. *Cap. 11. & 12.* Expende

1. Sacrificium missæ approbatum.

2. Illud prodesse pro defunctis contra negantes purgatorium.

3. Missæ sacrificium applicari peculiariter, sicut hic Monicæ matri.

4. Hic haberi missam privatam.

5. Fuisse aliquando, ut ante sepulturam mortuis missa fieret (oberdbsingen.)

6. Quod August. hoc non incœpit, sed ita jam solitum erat illic fieri, Año domini. 387.

Sic S. Ambrosius pro Theodosio missam legit, utique non aliam nisi privatam.

August. Et hoc attendendum est, ut missæ peculiares, quæ per dies solennes à

sacer-

ſacerdotibus fiunt non ita in publico fiant, ut propter eas à publicis miſſarum ſolennijs, quæ hora tertia canonice fiunt, abſtrahatur: ſed ſacerdotes qui in circuitu urbis, aut in eadem urbe ſunt, & populus in unum, ad Miſſarum publicam celebrationem, conveniant: renarrat Gratianus de conſecratione diſtinctione prima capitulo & hoc attendendum, pondera Miſſæ peculiares: pondera, Miſſarum publicam celebrationem. Itaque non erat una ſola.

Concilium Aphricanum conſtituit, ut altaria quæ paſſim per agros, & vias conſtituuntur. In quibus nullum corpus, aut reliquiæ martyrum conditæ probantur, ab Epiſcopis eruantur: ergo in quibus ſunt, non debent everti. *Can. 50. In magni*,

Ambroſius teſtatur ſe quotidie celebraſſe: quis credit ob id alios ſacerdotes, Mediolani fuiſſe omnes mutos. Sic ſanctus Bernhardus celebrans Romæ, Neapoli, Mediolani, Pictavij, Remis, Spiræ, &c. Quis id ſtulto poſſet perſvadere,

re, omnes ſacerdotes ab oblatione abſtinuiſſe, ac ſi in adventu tanti viri, non fuiſſet gaudium, ſed interdictum eccleſiaſtici officij.

Gregor. habet invicta loca contra hunc novum errorem, renarremus aliqua: epiſtola 97. Jubet dedicari monaſterium ancillarum Neapoli in vico Lampadi, ut quoties neceſſe fuerit à presbyteris eccleſiæ inſuper ſcripto loco deſervientibus, celebrentur ſacrificia veneranda miſſarum. Hæ fuerunt privatæ. Timothea illuſtris fœmina oratorium petijt conſecrari in honore S. Crucis: conſenſit Gregorius modo non haberet baptiſterium, nec presbyterum cardinalem.

150. Palladius Epiſcopus Sanctionis conſtruxit eccleſiam in honore beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum, nec non Laurentij atque Pancratij martyrum: at quur illic tredecim altaria collocavit: ex quibus quatuor necdum conſecrata remanſerunt, ob reliquiarum defectum: Jubet provideri, ut ſervientibus ibidem alimoniarum ſuffragia non deſint.

Non

Non dubium, qui in majoribus ecclesijs plura fuerint altaria.

Guilelmus Abbas in vita sancti Bernhardi. Infirmo Bernhardo itum est à fratribus oratum ad altaria quæ erant tria in eadem Basilica. Primum in honore beatæ genitricis Dei, duo circumposita in honore beati Laurenti martyris & beati Benedicti abbatis. *Li. 1. c. 12.*

Pictavij cum esset schisma, & B. Bernhardus eo accessisset pro tollendo schismate, celebravit missam: sed illo abeunte decanus confregit altare in quo vir S. celebravit, quis crederet unicum in ecclesia cathedrali altare fuisse confractum. *Li. 2. c. 6.*

Gregorius præcepit. Episcopo Syracusano, ut permittat in domo Venantij Patricij missarum peragi mysteria, & si vocetur aliquando ipsemet celebraret. *Epist. 143.*

Idem mandavit in ecclesia Populeñ. tres institui sacerdotes, ubi alioquin unus sufficeret ad bublicam Missam. *Epist. 15.*

Idem præcepit Episcopo veteris civita-

tatis, ne prohibeat Missam celebrari in Monasterio S. Georgij. *12.*

Sic præcepit Felici Episcopo Sipontino, ut in Canosina ecclesia duos instituat parochiales presbyteros. *51.*

Erant etiam duo altaria in Veteri testamento. Unum extra tabernaculum, quod erat pro holocaustis. Aliud Thymiamatis aureum intra tabernaculum: & in utroque fiebant oblationes per singulos dies, & in uno etiam sæpius eodem die, ut liquet ex levitico, & Exod. *Exo. 27. & 30.*

PRO APPLICATIONE.

CAtholico non sit difficile sentire sacerdotem posse uni aut alteri applicare utilitatem missæ, sicut erat in veteri testamento.

Si omnis turba filiorum Israël ignoraverit, offeret pro peccato suo vitulum. Et infra: Et rogante pro eis sacerdote, propitius erit eis dominus. *Levi. 4.*

Si peccaverit princeps, offeret hostiam coram domino hircum de capris. Et infra:

fra: Rogabitque pro eo ſacerdos, & pro peccato ejus: & dimittetur, ſimile dicit in fine cap. *Ibid.*

Anima quæ juraverit, &c. Offerat de gregibus agnum ſive capram: orabitque pro ea ſacerdos, & pro peccatis ejus. *Levi. 5.*

Infra: Offeret pro peccato ſuo ſimilæ partem ephi decimam, tradétque eam ſacerdoti, qui cremabit ſuper altare in monimentum ejus, qui obtulit, rogans pro illo, & expians.

Bis ſimilia diſponit in eodem capitulo.

Ite ad ſervum meum Job: & offeret holocauſtum pro vobis. *Iob. 42.*

Job ſanctificabat filios: & offerebat holocauſta per ſingulos. *Iob. 1.*

Obſecro primum omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus, qui in ſublimitate ſunt conſtituti, ut quietam, & tranquillam vitam agamus: hoc enim bonum eſt, & acceptum coram Deo ſalvatore noſtro. *1. Tim. 2.*

Hæc

Hæc regula ecclesiastica est tradita à magistro gentium, qua utuntur sacerdotes nostri, ut pro omnibus supplicent, deprecantes pro regibus hujus sæculi. *Ambros.*

In Apologetico: Oramus etiam pro Imperatoribus, & ministris eorum, & potestatibus, pro statu sæculi, pro rerum quiete, pro mora finis. Et cap. trigesimo. Suspicientes christiani manibus expansis, capite nudo, denique sine monitore, precantes sumus omnes semper pro omnibus Imperatoribus: vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, & quæcunque hominis, & Cæsaris vota sunt. *Tertull. Cap. 39.*

Epiphanius ad Joannem Episcopum Hierosolymis. Quando offerimus sacrificia Deo, & complemus orationem secundum ritum mysteriorum, & pro omnibus, & pro te quoque dicimus. Custodi illum, qui prædicat veritatem. Vel certe ita. Tu præsta Domine, & custodi,

di, ut ille verbum prædicet veritatis, ſicut occaſio ſermonis ſe tulerit, & habuerit oratio conſequentiam.

Porrò nemini eſt dubium, quin preces ſuas aliquis poteſt applicare cui voluerit. Sicut Abraham ait: Utinam Iſmael vivat coram te. Et ait Dominus: Super Iſmael quoque exaudivi te. Ita juſſit Deus Judæos orare pro tyranno Nabuchudonoſor, qui eos tenebat captivos. Orate pro vita Nabuchodonoſor regis Babylonis & pro vita Balthaſar filij ejus, ut ſint dies eorum ſicut dies cœli ſuper terram, & ubique ſcriptura docet nos orare pro invicem. Sicut & Paulus feciſſe teſtatur, & pro ſe fieri petijt. Cum autem & Miſſa ſit obſecratio, & ſupplicatio, cur ſacerdos non poſſet collectam ſupplicem accipere pro parentibus, pro Imperatore, pro benefactoribus, pro amico infirmo, cum David oraverit, & flevit pro puero infirmo? Helizeus etiam pro mortuo oravit, quare miſſa commode alteri poteſt applicari & ratione ſacrificij, & ratione orationis. *Ratio prima. Gen.* 17. *Baru.* 1.

Phi-

Philip. 1. 2. Thes. 1. & 3. Rom. 15. 2. Reg. 12. 4. Reg. 4.

Omnes fatemur Missam esse recordationem mortis, & victimæ in ara crucis oblatæ. Cum autem bonum sit mortis Christi, & tanti beneficij memoriam agere, sicut præcepit Christus, hoc facite in meam commemorationem: &Paulus ait, Quotiescunque manducabitis} panem hunc, & calicem bibetis, mortem domini aununtiabitis, donec veniat. Hinc Eucharistia dicitur bona gratia, gratiarum actio, ut Chrysostomus, Ireneus &c. Quid ergo prohibet sæpius in eadem ecclesia fieri memoriam mortis domini? aut quod sacerdos pro sua persona velit etiam privatim tanti beneficij memoriam repetere juxta ecclesiæ præscriptum. *Secunda ratio. Luc. 22. 1. Cor. 11. Iren. lib. 4. ca. 34. contra Valent.*

Ad hominem, cum quotidie juge illud sacrficium sit offerendum, & in aliqua civitate plures possint esse fideles, qui cupiant hujus sacrificij memoriam facere, etiam si non communicent: debent ne illi

li carere ſua devotione, & negligi ab indevoto ſacerdote, eo quod non adſunt communicantes, quum ſit damnoſa novitas à frigidis, & indevotis ſacerdotibus jamjam excogitata, ut contra eccleſiæ præceptionem celebrantes miſſam, & conſecrantes, non communicent. Concilium Toletanum: Quicunqe ſacerdotum deinceps divinum altaris ſacrificium oblaturus acceſſerit, & ſe à communione ſuſpenderit, ab ipſa qua ſe incedenter privavit gratia communionis anno uno repulſum ſe noverit: Nam quale erit illud ſacrificium, cui nec ipſe ſacrificans particeps eſſe cognoſcitur? Ergo modis omnibus eſt tenendum, ut quotieſcunque ſacrificans corpus & ſangvinem Jeſu Chriſti in altari immolat, toties perceptionis corporis & ſangvinis Chriſti participem ſe præbeat. *Tertia ratio. Cann. 5.*

Eſt ergo hæc novitas, contraria à diabolo inſtigante orta qua voluit ab hominibus crebram paſſionis Chriſti memoriam auferre.

Cum Auguſtinus dicat evangelio non

cre-

crederem, nisi authoritas ecclesiæ me commoveret: & praxis ecclesiæ est optima interpres scripturæ, & canonum, quis contra catholicam ecclesiæ consvetudinem audeat improbare privatas Missas, in tot regnis & provincijs, in tot ecclesijs cathedralibus, Metropolitanis, ac patriarchalibus in omnium ordinum monasterijs: In quibus ex veteri instituto in universum plures eodem die celebrantur Missæ, ut apud Præmonstratensem, Cisterti ensem, &c. Taceo ecclesias collegiatas, & parochiales, & tot beneficia simplicia, ex quibus aliquot sunt vetustissima. Sicut sacella ubique visuntur. Ubi fuerunt ducenti, trecenti monachi in monasterio. Quis credit tot fuisse sacerdotes, qui solum unam celebrarent Missam, quid beneficia aliqua antiquissima contulerunt, si non fecerunt privatas Missas? *Quarta Ratio.*

Quantum incommodum adferret Episcopis, Principibus & alijs nobilibus, & devotis personis, qui ex animo quotidie cupiunt audire, & videre hoc sccrificium

laudis: sed frequenter circa illam horam publicæ Missæ in prophanis diebus sunt occupati negotijs. Ideo optime est provisum per catholicos Principes, ut consiliarij habeant privatã Missam antequam ingrediantur consilium. Sicut & fit Romæ ante rotam, cancellariam, & pœnitentiariam. Ad hæc Comites, nobiles, & dominæ in arcibus ob loci distantiam, ob tempestates, & caumata, ob ægritudinem corporis, ob senium, & alias causas non cõmode possunt venire semper ad publicam missam. *Quinta Ratio.*

Ad hæc, & præsbyteris, & monachis sæpe pro pœna, & pœnitentia injungitur ut laicam tantum sumant communionem: si autem tot sacerdotes in uno monasterio, Eucharistiam singuli reciperent ex manu unius celebrantis; non esset pro pœna, ut in Agatheñ. & alijs concilijs. Ideo melius est dicere singulos celebrasse, ut hodie fit. *Sexta Ratio.*

Et hæc omnia probantur per Missale Ambrosianum (utique antiquissimum) ubi in certis festis ut in die resurrectionis do-

dominicæ. Unum officium disponit in minori ecclesia pro baptizatis, & aliud in majori ecclesia. Idem in festo Pentecostes, unde liquet illas fuisse privatas pro baptizatis.

§ *Objiciunt Hæretici.*

1. Quomodo oborta sit pluralitas Missarum non curamus: sufficit nobis ecclesiam patrum non meminisse, sicut missationes superiorum temporum difficulter probantur ex Gregorio.

2 S. Franciscus voluit unam tantum missam celebrari à fratribus in die secundum formam sanctæ Romanæ ecclesiæ.

3. Papa Honorius vult tantum duas missas per diē legi in ecclesijs collegiatis.

4. Tantum legitur de uno altari non de pluribus.

5. Unicum altare probatur ex decretis Hignij, & concilium Meldeñ. dicit altaria superflua destruantur.

6. Hieronymus super Amos dicit: Unum altare habet ecclesia. Et super Esaiam: Unum altare, sicut una fides, una ecclesia.

7. Augustinus, Chrysostomus, Ignatius, Cyprianus, Canones apostolorum dicunt altare in numero singulari.

8. Ambrosius vocat sacerdotes ministros altaris, non altarium: & sacramentum dicimus altaris, non altarium: & in cœna domini non erat nisi una mensa ex qua bibebant, & manducabant.

9. Basilius super Psalmum. 115. noluit pati privatum sacrificium, sed publicum, & commune sacrificium: cum quo totus populus communionem haberet divini ministerij, & cæt. quæ verba fortia sunt contra præsentes abusus: quo manus Dei eradicat sine manu, Amen.

Respondent Catholici.

1. Falsum assumit, quia ostendimus antiquitus plures fuisse Missas, & multa fuisse altaria. Greg. Non improbavit Palludium cum tredecim altaribus: sed solum imponit ei, ut provideat de alimentis ministris.

2. Negamus hanc fuisse mentem sancti Francisci, cum extent ecclesiæ Mino-

rum

rum vivo sancto patre erectæ, cum pluribus altaribus: neque Minoritæ agnoscunt hanc citatam epistolam. Aut si loquitur de unica missa, Franciscus non est intellectus ab arguente: loquitur in cœna domini, nam eo die etiam usque modo habent unicam missam, quod etiam Romæ observatur. Et olim servabatur in Germania, sicut legitur in antiquis missalibus diœcesis nostris Eistetten. sub hujusmodi rubrica Fractis oblatis communicent primo presbyteri, dein diaconi, & cæteri suo ordine. Et accipiens diaconus calicem, non statim sumat sangvinem, sed ponat eum in sinistro latere altaris usque post Magnificat, tunc diaconus sumat sangvinem, & cæteri omnes postea.

3. Falsat Honorium, non enim exclusim loquitur, sed nullùm torporem negligentiæ subrepere permittatis, quo minus, & pro anniversarijs defunctorum, & de festo vel feria missas celebretis, torporem, & negligentiam dicit, si tantum una missa diceretur.

4. Imò legitur de pluribus altaribus; ut induximus. Helias conquerebatur, altaria tua destruxerunt. *3. Reg. 19.* Et David: Altaria tua domine virtutum *Ps. 83.* Propè Rotenburgum mons est à vermibus cognominatus supra Tibingam, ubi Comes nobilissimus Albrechtus à Caluo anniversarium diem depositionis suæ instituit, cum omnibus parochialibus sacerdotibus peragendum, & in hunc diem peragitur, cum autem nominati sint ibi viginti duo parochiales in decanatu isto (si recte memini. Nam tot annis absui à territorio Wirtenbergensi, & Hohburgensi annis scilicet quadraginta) singuli ergo celebrabant missas, & si non tot haberent in uno sacello altaria, legit tamen etiam hodie unus post alium. Sicut hodie fit in hunc diem. Quis autem erit tam demens, qui existimet hunc pientissimum comitem, hæc constituisse, nisi prius solenne fuerit & consvetum apud catholicos.

5. De Higinio nullum agnoscimus decretum, quod nobis adversetur, proferat

ferat si quid habet, si responderit proterve contra ecclesiam, à nobis tractabitur durius. Mirum quod ausus fuit producere Meldeñ. concilium, ut superflua altaria destruantur. Cui ergo mox ut antiquus Logicæ Theologus opponam, admitto superflua destrui, ergo à contrario sensu, non superflua permaneant. *Melcedenn concilium.*

6. De illo pudet dicere, quum tam apertam ostentant inscitiam, attinet tamen aliquid dicere de materia. Hieronymus, Augustinus, Ambrosius, & ante eos Tertullianus, Origenes Cyprianus fatentur unum altare, hoc est, unum sacrificandi modum, non schismaticum. In tota ecclesia. Et in eo sensu sancti patres loquuntur. Insaniret qui in tot ecclesijs totius Chtistianitatis. unum altare materiale constitueret. Cyprianus martyr hoc docet, universæ plebi scribens, Deus unus est, & Christus unus, & una ecclesia, & cathedra una super petram domini voce fundata, aliud altare constitui, aut sacerdotium novum fieri, præter unum altare & unum sacerdotium non potest.

Expende Lector Quantum à vero aberrent Grammatici Theologi.

7. Puerile est, quod proceres ecclesiæ advocanur altaris meminisse, ac si unum duntaxat velint, ac discat grammaticus in scientia tradendi, indefinitam æquipollere universali, & singulare plurali. An David de uno homine loquitur, cum dicit, quid est homo, quod memor es ejus? Accedet homo ad cor altum, hominis est animum præparare. Homo ad laborem nascitur ait Job, & sic de mille similibus in Prophetis, Evangelio & Apostolis. *Psal. 8. Psal. 63.*


8. Vana & indocta est objectio, quum negare non possit & in pluribus altaribus pro suo arbitratu, distantibus. Eucharistiam vere consecrari, & offerri. Jugulant seipsos, cum factum Christi citant de una mensa, quoniam in cœna domini, unus solus fuit consecrans Christus, nam Apostoli solum, fuerunt communicantes. Jam sunt multi celebrantes.

9. Ba-

9. Basilius adfert ad literam occidentem: cum tantus vir manifestissime se exponat, quod sacrificium privatum improbet scilicet hæreticorum, & schismaticorum: Inquit enim: Non clam impiorum querelas fugiens tuum honorem extollam, sed publicum faciam sacrificium, populum tuum adorationis socium assumam. Vide quæ impia privata improbat sactificia, quia sequitur: Audite vos qui ecclesiam relinquitis, & in domibus publicis versantes, pretiosi corporis, miseras facitis scissiones: & omnia sequentia schismata detestantur. Unde verba illa non destruunt optimum usum ecclesiæ de privatis Missis, quem manus Dei minime eradicabit, sed manus impiorum & malefacientium. Ego contra precor autori diversæ sententiæ, ut Deus det ei spiritum sanum, castum, & veracem.

AMEN.

IN



INDEX EORUM
Quæ continentur hoc in Enchiridio
JOANNIS ECKIJ.

14. De

Titulus. *Pagina.*

34. De







Menda ſic Emenda.

Fol: 3. lin: ult: adimplet, *lege* adimpletur.
Fol: 7. lin: 15. erat, *lege* errat.
Fol: 48. lin: 18. Magni, *lege* Agni.
Fol: 49. lin: 22. cribit *lege* ſcribit.
Fol: 54. lin. 17. generationis *lege* generis.
Fol: 55. lin. 19. venefici, *lege* benefici.
Fol: 63. lin. 4. ceciſſe, *lege* ceſſiſſe.
Fol: 103. lin. 23. ungues, *lege* unges.
Fol: 215. lin. ult. acſi, *lege* ipſi.
Fol. 222. lin. 18. abolebant, *lege* adolebant.
Fol: 243. lin. penult: devotare, *lege* devorare.
Fol. 329. lin. 10. bonum, *lege* mortem.



